





ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

Volumen Tertium



II

ANNALIUM

AB ORIGINE

LUCENSIS URBIS

VOLUMEN TERTIUM

BARTHOLOMAEI

BEVERINII

A N N A L I U M

AB ORIGINE

L U C E N S I S   U R B I S

Volumen Tertium





L U C A E

TYPIS FRANCISCI BERTINII

MDCCCXXX



LIBER VIII.

BREVIARIUM LIBRI

Status civitatis post receptam libertatem. ea ruinis ac incendiis deformis. mores civium turbidi et saevi. Plures familiae nobiles divitesque, inter quas Guinisii eminent, et in eis Franciscus. Ordinatur reipublicae status. Civitas in tres regiones divisa. Senatores LX. e singulis regionibus lecti. Consilium XXXVI. virorum. decemviris additur vexillifer. Comitia annua. eorum ratio. militia urbana in centurias distributa. Senatus Idibus martii reipublicae administrationem capit. Guido cardinalis ex urbe discedit. dona illi data. Augusta arx diruitur. Festum atque ara libertati dicata. Antelminelli libertati graves. Decemviratus plebi relictus. leges emendatae. Guelphorum ac Ghibellinorum nomina abolita. Palatium decemvirale extruitur. Urbani V. mors. Antelminelli iterum turbant. Societatum latrocinantium origo. Censores primum creati. Pax cum Pisanis sancita. Joannes Obicius agrum infestat. Mons Clarus et Dallum reipublicae accedunt. In praefectura ultra jugum turbatum. Foedus cum Florentinis renovatur. legationes invicem missae. Gregorius XI. sedem apostolicam in Italiam reportat. Fossa ab Aesare in

urbem ducta. Post Gregorium duo pontifices creati. Carolus IV. auctor libertatis moritur. sumptuaria lex lata. ea nuptiis funeribusque praecipue modus impositus. Tarpejae aerarium. Franciscus Guinisius moritur. honores illi decreti. Pater patriae appellatus. eo mortuo plures in Guinisios conspirant. Urbanus VI. Lucam accedit. Forteguerrae principi decemvirorum ensem et pileum donat. Comitia habita. Magistratus in biennium designati. Civilium turbarum origo. Bartholomaeus Forteguerra odia in Guinisios serit. ad curiae fores tumultuatur. Comitia rescindi flagitat. utraque factio armatur. caedes errore viarum dilata. Forteguerrae seditiosa postulata. concordia frustra tentatur. arma utrinque sumpta. ad turrim Velii confligitur. Guinisii superiores evadunt. Forum et palatium occupant. Forteguerra princeps interficitur. Lazarus Guinisius inimicos servat. per urbem cum populi vexillo discurrit. Bartholomaeus Forteguerra interficitur. Andreae Stornelli praecipuus in eo tumultu furor. XXIV. viris respublica permissa. memoria praeteritorum aboletur. Seditionis auctores relegati. Jurisconsulti ac medici decemviratu exclusi. Podii honoribus restituti. Forteguerrae hostes judicati. ex eorum bonis porticus mercatorum extructa. novae leges latae.

Continet Acta XXI. Annorum.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER OCTAVUS

Liberi jam populi lucensis res, proprios magistratus, redditosque post longum tot annorum intervallum decemviris fasces, scribere aggredior: quae multo gratiora, crudelis et acerbus Pisanorum dominatus fecit. Et me quoque, tamquam in parte servitutis fuerim, juvat ingenium ac stylum ad laetiora convertere, haud ultra truces dominorum vultus, saeva imperia, caedes, nec mitiora caedibus tributa scripturum: sed lene patrum imperium, placatos tandem genti nostrae superos, satiata fata, redditamque una cum libertate Caelestium pacem. Quam suscepti operis prosequendi alacritatem, ea quoque reputatio auget, quod non ultra per impeditum ac tenebricosum iter eundum est, veterum scriptorum inopia; et quod rarae iis temporibus literae, direpta praeterea toties urbe ac incenso tabulario:

sed in temporum luce versamur. Ab ea aetate integris actis senatus, uberi scriptorum copia, ut non arte ac facundia, ita fide ac diligentia laborem nostrum allevantium. Sed antequam rerum gestarum narrationem exordiar, gratum me legentibus facturum puto, si quae iis temporibus fuerit civitatis facies, qui rerum status, quae familiae aliis opibus ac potentia praestarent, brevi oratione perstringam: inde enim, praeter antiquitatis voluptatem, eorum quae post insequuta sunt, causis intellectis exitus facilius noscentur. Civitas igitur, ut post tot factiones populi inter se dissidentis, post longam et acerbam tot annorum servitutem; quam etiam crebra dominorum mutatio duriorem effecerat; cum jejunae ac hiantes tot impotentium tyrannorum cupiditates subinde explendae, ac saevitia redimenda foret; alibi incendiis ac ruinis deformis, alibi solitudine vasta: multis nobilium plebisque una cum libertate alio profectis. Eorum vero qui restiterant, ut plerique recepta republica laetabantur; ita non omnino inturbidi, ac saeva dominatione efferati, vim irasque in hostes conceptas, etiam in cives promebant; legum morumque aequitate nondum praevalida: assuetique dominorum injurias spectare, exemplo profecerant: quodque inviti saepe toleraverant, libenter fa-

ciebant. unde interdum tumultus exorti, et velut ex recenti morbo, novae tentationes. Et quamquam crebra et immodica tributa, aut emendae libertati donativa opes non parum imminuerant; non tamen deerant plures familiae nobiles, quae divitiis ac splendore cultus, civitatis decus sustinerent, quaeque aut industria quaesitas opes, aut a majoribus relictas, in ea temporum procella servassent: quibus non minus consilio ac virtute auctoritas apud populum quaeritur; vulgo ita comparata ratione, ut iidem sapientissimi, qui ditissimi habeantur. Praeter Antelminellos Obiciosque, qui plus quam civilia animo agitabant, clarum erat iis temporibus ac populare Rapondorum, Moriconum, ac Forteguerrarum nomen: sed omnium maxime Guinisii eminebant, qui e Germaniae inferioris ejusdem nominis tractu, ut creditur, profecti, vetustam nobilitatem divitiarum copia aequabant. quippe solos Franciscum ac Dinum ad CC. florenum aureorum millia in censu habuisse, publicis tabulis constat (1): cum solers Pisanorum avaritia, omnes sinus ad cogenda tributa excuteret. unde cultus liberalioris splendor,

(1) Floreni aurei pretium respondet X. libris lucensibus. *Lire.*

ampla aedificia, magnaeque simul fortunae ac nobilitatis documenta, turris, porticus, vicus, templum, eorum nomine appellata. ad haec numerosa soboles et flore virorum pollens, sanctitas morum, consilium excellens, justi rectique tenax propositum: quas dotes excelsa quaedam, et in magnas res genita animi majestas cumulabat. Aderat vulgi amor, quem non ambitione aut malis artibus, sed neminem laedendo, morum aequabilitate, alios consilio, alios re juvando meruerant. Itaque plena eorum clientibus civitas, plenus ager: nec quisquam militari virtute aut alia egregia arte insignis, quem Guinisii non foverent, iique vicissim ab eis colerentur. Nec se domi tantum haec potentia continebat. sed ejus familiae nomen in aula romana, Britannia, Germaniaque aliisque regionibus celebre habebatur: pontificumque ac regum aliorumque principum studia, posteritati documentum durant. Itaque per ea tempora sine controversia principatus civitatis penes Guinisios erat: eosque tamquam magistros rerum ac arbitros caeteri suspiciebant. Verum qualiter in liberis civitatibus excelsae quorumdam fortunae aspici solent, oblique ac maligne insita humani ingenii pravitate, qua magnarum virtutum imitatio minus placet quam invidia. Sed ut in civitate Gui-

nisii, ita inter illos primas partes agebat Franciscus Lazarii filius: vir ingentis animi, nec minoris consilii, quique magnitudine ingenii ac rerum usu veteres Camillos Catonesque aequaret. Itaque eum velut oraculum, publice privatimque adire mos erat: nec quicquam arduum magnumque per ea tempora agebatur, cui non ille consultor et arbiter adhiberetur. eumque non aliter, praecipue ob recens in comprimendis Antelminellorum conatibus meritum, ac retinenda libertate, velut privati civis fastigium egressum, quam parentem ac servatorem patriae intuebantur. Quae famae ac potentiae claritudo illum ad vitae exitum consequuta est: nec eo vivente quicquam adversus publicum otium aut familiae dignitatem moliri adversarii ausi sunt. adeo illos, seu virtutis veneratio, seu magnitudo ac celebritas viri deterrebat, ut iidem et odissent simul et suspicerent.

Hic civitatis erat habitus, cum Kalendis ianuarii 1370 decemviri magistratum iniere, novissimi antiquae designationis per Guidonem cardinalem factae: bini videlicet ex singulis portis, ut tunc divisa civitas erat. Fuere ii e porta suburbiorum Matthaeus Cattanus, Fredus Martinius. e porta D. Frigdiani Luisius Boccellius, Nicolaus Bartholomaeus. e porta D. Donati Orlandinus Vulpellius, Franciscus Datus.

e porta D. Petri Marchesius Gilius, Puccinellus Galganettus. ac denique e porta D. Gervasii Bartholomaeus Balbanus, et Gulielmus Benettonus. qui omni studio ad ordinandum civitatis statum converso, jacendaque iterum novae libertatis fundamenta, senatum abhibuere, qui tunc L. senatoribus constabat, X. scilicet e singulis portis. Cumque exhaustum aerarium esset, timereturque e provincia feroniana bellum, prima cura patrum incubuit, ut ratio conficiendae pecuniae inveniretur, qua conduci milites, veteres munitiones restitui, novae excitari possent: ut respublica ad vim propulsandam instructa esset, si quid ab ea parte moveretur. Itaque sententia Conradi Podii negocium decemviris datum, ut hi certum civium numerum, qui eis videretur, legerent: quibus potestas esset publica vectigalia vendendi aut oppignerandi, curandique ne quid respublica detrimenti caperet. Ordinare deinde civitatem aggressis ea primum cogitatio occurrit, frustra receptam ab hostibus rempublicam, nisi civilium discordiarum causae a stirpe excinderentur: semperque in lubrico fore libertatem, quam animorum concordia non firmasset. Nulla autem re magis ali pacem civitatum, quam numerum ac honorum aequalitate. Huic vero obstare divisionem urbis in

quinque regiones, quae olim a majoribus sapienter instituta cum civitas multitudine abundaret; eadem mox longa servitute aliisque cladibus attrita, querelarum ac odiorum seminarium erat. Quippe ut quaeque regio populosa ac frequens, aut contra rarior exiliorque, plures paucioresque munera ac honores capiebant. Et in oneribus quidem infrequens, in honoribus vero numerosior querebatur: et utrisque maligne sua commoda aestimantibus, damna tantum reputabant. Cui malo ut obviam iretur, senatus Ludovici Mercati auctoritatem sequutus XII. viros creavit, quibus una cum decemviris potestas esset, iterum dividendi civitatem, ut magis e republica censerent. qui re multum versata, tandem VII. Idus februarii concordibus suffragiis decrevere, ut abolitis portarum nominibus, in posterum civitas in tres regiones seu tribus divideretur: quorum prior complexa omne id spatium quod portarum D. Petri Donatique appellatione censebatur, ab ejus Divi templo iis limitibus concluso, D. Paulini diceretur. Alterius fines promoti in regiones portarum D. Frigdiani ac suburbiorum, a Salvatoris templo titulum ferrent: tertia demum in omnem ambitum regionis portae D. Gervasii, ac in suburbia vallo fossisque clausa porrecta, a basilica martiniana

nomen haberet. isque in posterum ordo in legendo senatu, creandis magistratibus, omnique alio publico munere servaretur, ut ex singulis tribubus cives aequis portionibus caperentur. Itaque tunc primum decretum, ut senatorum numerus augeretur, ita ut ex quaque tribu LX. legerentur, isque major senatus appellaretur: penesque eum jus imperii esset: quique uno anno in senatum venissent, altero vacationem acciperent: solemnis ineundi novi senatus dies Idus martiae essent. Placuit etiam aliud consilium legi, in quod XII ex singulis tribubus conjecti; idque consilium XXXVI. bonorum virorum appellatum, quod in sex menses duraret; ad ejusque auctoritatem minora quaedam rejicerentur. Decemvirorum numerum servari placuit, etruscis civitatibus ab antiquis temporibus sanctum, hac tamen immutatione, ut collegia novem civibus, ternis scilicet ex unaquaque tribu constarent, iique vetus antianorum (cui ab antiquitate, etrusca origo est) nomen retinerent; quibus decimus tamquam princeps et caput reipublicae impositus, more etruscarum civitatum vexillifer appellaretur: purpuraque ac caeteris principatus insignibus ad augendam majestatem uteretur: qui caeteros, ut dignitate, ita loco anteiret: ejusque esset negocia ad senatum re-

ferre, aliorum magistratuum ac militum sacramentum accipere, portarum urbis claves apud se habere, legationes publico nomine excipere, responsa reddere, de collegii tamen sententia. isque honos, ut caeteri, per tribus divideretur: ita ut princeps locus paulinianae tribus esset, in ejus Divi honorem, in cujus tutela lucensis populus est: secundum D. Salvatoris, tertium martiniana obtineret: collegiaque in hunc modum constituta a proximis Kalendis martiis inchoarent. Caeteri, a principe, decemviri alternis imperitarent. sex dierum spatio finiretur imperium, quodque ultra superesset, in horas aequis portionibus divideretur. id quoque munus in orbem iret. is vero penes quem imperium esset, anulum civitatis custodiret, literas publicas obsignaret, epistolas ad collegium, vel senatum missas prior resolveret, dimittendi retinendique senatus jus haberet: aliaque pro potestate ageret, quae ad hanc diem servantur. Decemvirorum comitia in hunc modum haberi sancitum. lecti cives una cum collegio ejus temporis, adhibito, ne qua fraus timeri posset, sacri ordinis viro, magistratus in annum suffragiis designarent. designatos VI. viris ordinandos ac in collegia distribuendos traderent: prius jurejurando adactis, omnia silentio tecturos. hi ab eo munere ordinatores

appellati, singulos principes in urnas cum collegis conjicerent, unde mox sorte educerentur. ita ut electio, ac aestimatio judicii, temporis vero arbitrium sortis esset: caecumque ac temerarium fortunae judicium, eligendi prudentia regeretur. ex sortitione autem id boni consequebatur; ut nemo temporum opportunitates captare rebus novis moliendis; nemo consilium in rempublicam capere posset, dum tempus, dum collegas sui magistratus ignorat. Urnae vero comitiales, ut religione loci inviolabiles essent, in sanctiore penetrali basilicae martinianae sub triplici sera asservari jussae: quarum alteram princeps decemvirorum, alteram is ex decemviris penes quem imperium esset, tertiam praetor urbanus servaret.

Nec in ordinanda pace, belli cura omissa. Nam ad subitos bellorum casus, qui per aetatem militare poterant, in centurias distributi. ipsae vero centuriae sub duodecim vexillis descriptae, eaque, quaterna in singulas tribus, totidem vexillariis assignata. tum sub unoquoque vexillo quatuor veluti tribuni militum constituti, qui ubi ad arma publice concurri oporteret, praesto cum suis centuriis ad nutum decemvirorum in armis starent. Quae vexilla, albo purpureoque (quod vetus lucensis populi insigne est) distincta, diversisque

imaginibus, ut suum unaquaeque centuriarum noscitaret, notata; sexto quoque mense, publice magna cum populi frequentia, ad nostram aetatem per decemviros vexillariis tradi consuevere: donec antiquus mos exolevit, omissaque celebritate intra palatium a veteribus relata novis vexillariis traduntur: ante sacramento adactis ea non nisi pro patria et adversus hostes moturos. quae vexilla, jamdiu strepitu armorum silente, res pacis sunt: quotiesque decemviri in publicum procedunt pro aedibus vexillariorum proponere mos est. ut rara, ita in perpetuum optanda felicitate, ut armorum signa jam solis togatis serviant. In hunc modum, ad pacis tranquillitatem tumultusque belli civitati provisum, in eo primo libertatis limine: quorum pleraque jam ultra annos CCC. inviolata ad nostram memoriam pervenere: aeternaque erunt, ut auguror, donec magna illa quae cuncta mortalium temperat Providentia, optimae constitutae reipublicae exemplar orbi extare voluerit. Adjutos in constituenda republica Lucenses Florentinorum consilio, qui certos homines ad eam rem submiserint, tradit rerum ejus populi scriptor (1).

(1) Scipio Ammiratus l. 13 ad ann. 1370.

quos ut bonorum sociorum officio functos haud inficias eam, XXV. millibus florenum aureorum mutuo tradendis, praebendisque fabris ad disturbandam augustae munitionem; quarum rerum grata apud nostros scriptores memoria extat; ita rem nullo literarum nostrarum testimonio subnixam aegre concesserim. cum praecipue ad minuendam Lucensium gloriam, quos pridem ad ordinandam Florentinorum rempublicam evocatos, ipsorum affirmatione extra controversiam est, conficta videri possit: tamquam ii, cum republica nostra, paria fecerint. Eaque semper fuit nostrorum hominum sapientiae gloria, ut iis omnia potius quam consilium defuisse crediderim. Inter haec cum decemviri ad senatum retulissent, posse pretio averti rem, nondum adultae libertati, noxiam; sed quam vulgari ex utilitate publica non esset: idque sibi cognitum relatione trium civium, fide et auctoritate praestantium. Patres Petri Dardanini sententiam sequuti, decemviris una cum tribus illis tantam, quantam penes civitatem universam est, potestatem dedere; quamlibet pecuniae summam redigendi erogandique, quanta ipsis ad negocium e republica transigendum opus videretur. nec quae ea res fuerit, unquam rescitum. Tanta illis temporibus secreti sanctitas erat, tam fida civium

pectora; ut ne quidem principibus civitatis arcana committenda putarent, quae a quibusdam interdum impatientia taciturnitatis sponte etiam in vulgus efferuntur: nec illi ea nescire indignabantur; potiusque habebant sapienti ignorantia servare rempublicam, quam curiosa investigatione rerum tempora corrumpere. Et quoniam in recuperanda libertate, Urbani pontificis insigne erga rempublicam studium extiterat, ad agendas grates, cumque eo foedus sanciendum legatio decreta. Ivere e primoribus civitatis Andreas Bellomus et Dinus Guinisius. quibus etiam in mandatis datum, ut cum Albano antistite, qui absente in Galliis pontifice, rem romanam in Italia curabat, cumque aliis regulis aut liberis civitatibus, pactiones ac foedera inirent, iis legibus, quae ipsis e salute ac dignitate reipublicae viderentur. Praeterea ad frequentandam urbem, tot annorum servitute, aliisque cladibus exhaustam, decretum ut qui in civitatem aut continentes vicos cum familiis migrassent, vectigalibus aliisque muneribus immunes essent. qua spe invitati, plures tam ex agro ac municipiis, quam ab exteris regionibus domum fortunasque Lucam transtulere: paulatimque civitati frequentia, nitor aedificiis, flos decusque artibus redditum, deterso squalore ac

situ, quem rebus omnibus diuturna servitus induxerat.

Interea nova lege comitiorum dies appetebat. Quare a senatu lecti e singulis tribubus VI. viri, qui una cum decemviris comitia haberent: novum senatum, maximum minoremque ac caeteros magistratus legerent. Itaque XI. Kal. martii prima comitia celebrata: designatique in annum decemviri. Collegia primi ordinavere Fridericus Trenta, Franciscus Guinisius, Franciscus Buzolinus, Luisius Boccellius, Orlandinus Vulpellius, Gulielmus Benettonus. e sacris hominibus interfuit, spectatae fidei ac religionis Nicolaus, e collegio sacerdotum basilicae D. Michaelis ad forum, qui tunc certis legibus in communi vitam degebant. Rebus ita constitutis, advenere tandem solemnes ineundis magistratibus Kalendae martiae; cum universa civitas ad officium deducendi novos decemviros concurrit. Fuere ii e tribu pauliniana Franciscus Buzolinus princeps, Joannes Mingogius, Petrus Brilla, Casinus Vannis. e tribu D. Salvatoris, Nicolaus Angelellius, Bernardus Aurifex, Matthaeus Nutinus. e martiniana vero Joannes Barga, Dinus Malapresa, Antonius Coluccius. Utque magna novitatis gratia esse solet, omnium ora atque oculi in principem conjecti.' in-

visum ad eam diem purpurae splendorem, cultus dignitatem, locum ac sedem augustiorem, aliaque principatus decora laeti mirabantur. omnium exporrecti vultus. omnium securae frontes nec ultra superba dominorum imperia metuentes, renatam rempublicam, unaque cum libertate crevisse principibus majestatem mutuo complexu, mixtisque gaudio lacrymis celebrabant. Primo senatus die princeps gravi oratione patribus gratias egit. de se modeste, de republica honorifice, de senatu grate loquutus: » qui nomen suum tanto honore » insigne in reipublicae fastis primum esse vo- » luisset. scire se quam grave esset statui in » exemplum posteritatis: tamen pro virili parte » daturum operam, ut tam illustri de se ju- » dicio non deesset. tantoque majori spe id » praesumere, quanto tot sapientum virorum » consiliis, populique lucensis placatae jam » fortunae confideret. » quem morem patribus gratias agendi primo senatus die post initum magistratum, ad hanc aetatem insequuti principes tenuere. Inde ad senatum legendum novo jure, ii quibus ea curatio obvenerat simul cum decemviris animum adjecere. allectique mixti nobilitati populares: quantum in ea virorum inopia potuit, utriusque ordinis habita ratione, ut quam maxime splendidis is honos

mandaretur. Lecti Idibus martiis imperium reipublicae suscepere, cum vitae necisque civium, condendarum legum, quantaque penes universum populum lucensem est potestate: ut id demum ratum sanctumque esset, quod ex tribus duae partes suffragiis sanxissent. Jam omnia ita constituta erant, ut per se civitas stare, suisque consiliis nova libertas niti posset. cum Guido cardinalis, quem Carolus caesar reipublicae constituendae, ac velut tutorem altoremque tenerae adhuc libertatis reliquerat, nihil ultra morandum sibi ratus, decemviris senatuque intra munitionem augustae convocatis, in hunc modum loquutus est.» Rem-
» publicam, patres conscripti, a caesare ar-
» mis liberatam, a vobis legibus constitutam,
» eodem quo mihi imperator jure, regendam
» tuendamque vobis trado. ab eo rerum ve-
» strarum arbiter, tutorque adolescentis liber-
» tatis datus, ita hactenus egi, ut cum multa
» mihi pro salute vestra decernenda fuerint,
» plura a vobis discerem quam docerem. et
» edicta quidem meis verbis proponebantur,
» sed vestra sententia, vestra auctoritas erat:
» cumque ego publice loquerer, vos mihi mens
» et ratio in privato fueratis. Id tamen tempori-
» bus nondum plane a praeterita tempestate pa-
» catis congruebat, ut se magno aliquo nomine

» auctoritas vestra tueretur; ne tamquam impe-
» randi rudes hostibus contemptui essetis: in-
» fensique novae libertati, timidam adhuc et in
» lubrico stantem, iterum subductis vestigiis
» trahere posse in servitutem confiderent. Sed
» jam ita sapienter omnia constituta sunt, ita
» solide fundamenta posita libertatis, ut nec vos
» metuere, nec illi sperare ultra debeatis. Jam
» pacis bellique jura sancita sunt, jam honores
» aequati, jam respublica suam mentem, suum
» consilium habet. quare nihil est quod amplius
» vobis praestare possim, quam ut, quod jam
» estis, etiam liberi videamini. Itaque non
» ultra alienum locum occupabo: lucensem-
» que civitatem, jura, immunitates, vestrae
» fidei, vestris imperiis relinquam; ut eo jure
» liberi sitis, quo qui optimo. Quid in repu-
» blica administranda agendum vobis sit, ali-
» quis fortasse a me requiret. Sed ego superva-
» cuum existimo: satisque disciplinae futurum
» puto tamdiu servisse. Nullum mehercule,
» quod sine lacrymis commemorari non po-
» test, venale mancipium tam saepe dominos
» mutavit, quot intra hos L. annos vos prin-
» cipibus paruistis. dum hunc Etruriae cla-
» rissimum populum impotens fortuna de ty-
» rannis in tyrannos jactaret: eo fato, ut sem-
» per pessimis deteriores succederent. Ugutio-

» nem Castruccius dejecit; qui quamquam lu-
» cense nomen victoriis triumphisque nobili-
» taret, non minus tamen premebat: et quam-
» quam speciosior, non ideo levior servitus
» erat. post illum, militum praeda et auctio
» fuistis: hoc post famam gloriamque vestro-
» rum armorum consequuti, ut sub corona
» veniretis. inde Spinulis, Rossiis, Scaligeris,
» Insubribus, Florentinis, et quod postre-
» mum malorum fuit, Pisanis addicti estis:
» inveteratum adversus vos odium, tamquam
» relicturi, explere festinantibus. quare omnium
» praeceptorum instar erit, si nunquam a co-
» gitatione removeritis, qualem ante annum
» vertentem rempublicam habebatis, qualem
» nunc tenetis. Et quamquam miseriarum fa-
» cile est meminisse, tamen ut melius cae-
» saris beneficium, vestram fortunam intelli-
» gatis, saepe animo revocate tetram illam et
» acerbam reipublicae noctem, saeva imperia,
» superbas voces, immites vultus: cum nul-
» lius aurum, nullius pudor satis tutus esset;
» cum omnia caedibus ac exiliis moererent;
» cum anima ipsa ac vitalis aurae spiritus
» vectigales essent; cum tamquam mancipiis
» crudeles domini illuderent, somnisque ipsis
» insidiarentur: quodque natura miseriarum la-
» xamentum esse voluit, illi crudelitatis in-

» genio in formidinem terroremque converte-
» rent. et cum funesta cogitatione animum
» contristaveritis, simul illud reputate per quos
» gradus in tantam calamitatem lapsi estis.
» et si civilibus odiis, si nobilitatis plebis-
» que dissidio, si legum contemptu, si nu-
» minis irreverentia libertatem amisistis, con-
» trariis artibus retinebitis. Religione in Deum,
» veneratione in caesarem, amore in rempu-
» blicam, inter vos beneficiis certate. Jura
» vobis pro dominis sint: tantumque in po-
» sterum leges metuite, quantum antea tyran-
» nos timebatis. Tales denique estote post
» diuturnam libertatem, quales nunc estis post
» longam servitutem ».

Ut dicendi finem fecit, plausus et gratulatio patrum insequuta est: acclamatumque Urbani pontificis, Caroli caesaris, ipsiusque nominibus: illos parentes, illos lucensis libertatis patronos ac propemodum deos. Abeuntem, donis, quantum attritae civitatis fortunae patiebantur, magnifice prosequuti sunt; XV. aureorum florenum millibus in eam liberalitatem erogatis. Quibus aliisque qui caesari persoluti sunt, in summam redactis, constat supra CCC. florenum aureorum millia Lucensibus Pisanorum dominationem redemptam. pretium ingens, sed libertas emebatur. Vix urbem egresso

cardinali, quod contigit VI. Kal. aprilis hujus anni, statim de augusta diruenda (extruxerat eam Castruccius ante annos prope L.) consilia agitari coepere. quidamque non expectato senatus imperio, cum fabris ad disturbanda moenia concurrere. Quippe illam tot annos jugum fraenumque civitatis; illam servitutis sedem fuisse. illud tot tyrannorum domicilium, unde tamquam ex tuto injuriae in cives profectae, excindendum ferro flammisque clamitabant. Quod cum nonnulli, quorum cogitationes in dominationem versae, aegre ferrent, edicto vetandum curavere, ne quis ex ea mole lapidem moveret. qui contra ausus esset, enm capite poenas daturum. Sed tantus erat populi ardor, ut minis terroribusque augeretur. Itaque nullo mortis metu, tanto magis instare coeptis, emoliri portas, pinnas convellere, turres murosque subruere; tanto consensu, ut ante solis oocasum, nullus pene in civitate fuerit, non viri, non feminae puerique, qui non (quae cuique ardor animi objecerat) cum dolabris securibusque, aut aliis diruendarum molium instrumentis praesto fuerit. tanto laetitiae impetu, ut ab ignaris tamquam emotae mentis homines insanire, credi possent. Juvabat illidere solo superbas turres, refringere ferrata claustra, vallum eruere, complere

fossas, aggeres solo aequare, ruderibus ruinisque insultare; tamquam ea ultione animos exsatiarent: tunc se tandem liberos fore arbitrati, si abolerentur cuncta vestigia servitutis. Nec intra unum diem ruina tantae molis stetit. Quippe maximam pulcherrimamque omnis memoriae arcem, qui videre, testabantur: muris turribusque in excelsam altitudinem elatis, quintam fere urbis partem complexam. quo egregio opere, magnus ille dux, regum caesarumque potentiam aequaverat. Eodem impetu eversa novi castelli moenia; quod a Carolo caesare inchoatum, de suo nomine Caesareum appellari jusserat. Accitos ad augustam diruendam Florentia fabros, utriusque populi scriptores tradunt, qui absoluto opere, ut ejus temporis mos erat, aureo panno donati, illum insigni pompa domum regressi, urbe tota circumtulere. Sed ut in instrumenta servitutis juste saevitum; ita iis civibus ornandis augendisque, qui in liberanda patria praecipuam operam impenderant, cura patrum incubuit. Itaque Thomae ac Joanni ex Obiciorum gente, ac Nicolao Diversio, qui in Germaniam profecti, caesarem expositis civitatis malis iterum in Italiam pertraxerant, annua pecunia constituta, quam ex aerario caperent. curatumque ut Diversius equestri ordine, ac aureis

calcaribus, quod tum insigne nobilitatis erat, a caesare donaretur. Nec fama sua fraudandi caeteri egregii cives, qui redimendae civitati aurum privatim contulere, aut pro pecuniis mutuo acceptis vades extitere. quorum praecipui Jofredus Cenamus, Nicolaus Bartholomaeus, Henricus Sandaeus, Orlandinus Vulpellius, ac Bartholomaeus Michelius Moccindentinm stirpe, fuere. quorum Vulpellius deinde adulterini pontificis Benedicti XIII. partes sequutus, ab eo purpuram retulit: tam ipse falsus senator quam ille pontifex. Nec minorem laudem consequuti Simon Boccellius et Dinus Guinisius, qui cum XII. florenum aureorum millibus oppida quaedam a nonnullis Antelminellae familiae, semper libertati gravis, emissent, ea pretio recepto reipublicae imperio adjunxere. Sed nulli tantum, quantum caelesti clementiae debebatur; quae contra omnium spem, horribili servitute civitatem exemerat, Urbano pontifici et Carolo augusto ea mente objecta, expeditisque difficultatibus quae moras nectere potuissent. Itaque ut aeterna grati animi erga liberatorem Deum extaret memoria, decretum ut in majori basilica ara libertatis statueretur, apudque eam quotidie sacra pro salute publica fierent. Deinde ut in posterum solemni die, quem in Albis appellant, quo ci-

vitas superiore anno VI. Idus aprilis solidam libertatem receperat, celebri pompa decemviri cum senatu, ac caeteris magistratibus, universoque sacerdotum ordine, per urbem supplicarent. Itaque hoc anno, ad praestitutam diem universa civitate ad officium confluente, primum habita supplicatio: in qua ad augendam venerationem, praeter SS. Christi Corpus, nonnulla etiam Divorum corpora deferri placuit. Sed ut sacrorum sanctitas ad religionem incutiendam animis valuit, ita ubi augustum vexillum, in quo aureis literis libertatis nomen inscriptum erat, deferentibus principibus civitatis elatum est, illico omnibus obortae gaudio lacrymae: nec quisquam cohibere laetitiae impetum valuit, quin in plausus et acclamationes erumperet, tantique boni aeternitatem precaretur. exque eo tempore quotannis ea pompa redintegratur, post annos jam amplius CCC. tanta animorum alacritate, tanto confluentium undique populorum studio; ut qui triumphantem gaudio civitatem videat, eum ipsum diem, eumdem senatum, eumdem populum, qui mala servitutis evaserat, arbitretur. adeo extinctis corporibus, majorum animi in posteris duravere. Quarum rerum narrationem ab historia abhorrere minime visum: exemplo veterum scriptorum, qui qualescumque deos eorumque

religiones operibus suis inseruere: non minus bella ac triumphos, quam supplicationes ac dedicationes templorum persequuti: magna nostrorum hominum accusatione, qui saepe toti memorandis mortalium sceleribus, ac urbium ruinis cladibusque terrarum libros implentes, caeleste illud numen, rerum omnium causam et moderatorem a suis annalibus excludunt: tamquam plus majestatis venerationisque apud legentium animos humana divinis essent habitura.

Nec sane deerant causae caelestis opis implorandae. Nam ut quae longa valetudo corpora implicuit, diu languor consequitur; ita respublica ex gravi concussione nondum plane convaluerat: et finita potius servitus quam constituta libertas videbatur. Quare, veluti veteris morbi tentamenta, nonnulli motus per id tempus civitatem turbavere. Antelminellorum familia dum nimium pristinae potentiae et Castruccii meminit, licentius agebat quam ut aequatum jam liberae civitatis jus pati posset. Nec interim suspicio aberat, eos res novas adversus libertatem moliri. Quare S. C. factum, ut omnes ejus gentis intra certum diem decemviris se sisterent. qui ad constitutum tempus non adfuisset, is pro hoste haberetur. cumque Aldericus, Joannes, et Rolandus ob

eam causam hostes judicati essent, mox quorundam regulorum favore in gratiam recepti, cum securitati publicae vades dedissent. Savarigius tamen Antelminellius, ac Nicolaus Castracanus Francisci filius in exilio mansere. cum quo tamen hoc anno foedus ictum, ab eoque Bargilium, munitissima et ingenio loci et operibus arx, pretio recepta. Nec Antelminellis quietius agebant Obicii, valida, ac praepotens jam inde a priscis temporibus familia, et quae in populares factiones scissa civitate, partium dux extitisset. Quare circa finem anni Joannes Alemanni filius relegatus est arcanis causis, et quarum conscientiam apud se tantum patres esse voluere. qui civis, egregiam in liberanda republica gratiam, multis deinde in eam injuriis foede corrupit. Sed a nulla parte, quam a Bernabonis Insubrum reguli insidiis magis trepidatum. qui obtentu belli, quod in Florentinos susceperat, in lucensem agrum copias traduxerat, eo consilio ut Joannem Agnellum Lucae Pisarumque dominatione dejectum restitueret. confisus praecipue Alderico Antelminello, aliisque ejus domus, qui infami proditione hostibus favebant. Sed re comperta reguli conatibus obviam itum: creatique IV. viri, qui una cum decemviris curarent, ne quid respublica detrimenti ca-

peret. Accessit his malis intestina discordia, plebis querelis adversus nobilitatem motis: quasi ipsa, cum periculorum, laborumque in liberanda civitate socia fuisset, nunc a praemiis honoribusque receptae reipublicae excluderetur. « ipsam ex majori parte mala servitutis » sensisse, cum plerique patriciorum, domos » fortunasque alio transtulissent. instar avium » assuetos mutare sedem, verna temperie re- » vocatos nidum repetere quem hieme dese- » ruerint. eorum fidem cum patriae fortuna » stare, aut labi. se quam modo florentem » colat, miseram non reliquisse. proinde ae- » quum non esse, ut sola libertatis bona non » caperet, quae sola aut cum paucis tyran- » nidis incommoda cepisset ». Visum est eos aequa postulare. Itaque XII. viris negocium datum, ut viam inirent, qua in reipublicae administratione, etiam popularium ratio haberetur. ii rem ita ordinavere, ut deinceps in omnibus magistratibus duae portiones nobilium, tertia popularium esset. et nequa suspicio in posterum populi animos tentaret, Francisci Guinisii auctoritatem sequuti patres decrevere; ut in legendis decemviris, principe excepto, nobilium ratio non haberetur. sed ii caeteris magistratibus praefecturisque contenti, decemviratum plebi vacuum relinquerent: aut iis

qui plebi suspecti non essent. utque deinde civitas populi nomine regeretur, magistratusque ac caeteri qui munia reipublicae caperent, in populi verba jurarent. Eo sacramento tum princeps (erat is Simon Barga) caeterique magistratus, nec non tribuni ac vexilliferi regionum, fidem populo obstrinxere: se ejus nomine rempublicam gesturos. si fallerent, deum hominesque ab iis poenas expetituros. Ea lege perlata, Obicii, Salamoncelli, Quartigiani, Podii, Veglii, Maurini, aliique nobilium se ipsos sponte jurejurando adegere, ab eo magistratu in posterum procul futuros, illumque populo, quibusque populus mandare voluisset, relicturos. Fidem ordinum concordiae tuendae lecti XVIII. cives, seni e singulis tribubus, iique conservatores pacis quietisque publicae appellati: quorum praecipui fuere: Marchesius Gilius, Orlandinus Vulpellius, Thomas Obicius, Simon Boccellius, Janinus Spada, Franciscus Guinisius, Luisius Balbanus.

Sed tam salutaribus institutis, quibus magni illi cives rempublicam constituere, vel maximum deerat, nempe legum emendatio. In id omnes cogitationes versae. Quippe, ut sine spiritu corpus, ita sine legibus imperia librari ac stare non posse. easque, ut caetera, temporibus aptari oportere: aliis mutatis, aliis

adjectis, prout ratio et usus suasisset. Sic Romanos, donec boni mores valuere, paucis, quas Romulus, aliique reges, tulerant contentos vixisse. mox X. tabularum leges latas, quibus deinde binae additae. Exin praetorum edicta, scita plebis, sapientum responsa, caesarum oracula adjecta: tanto numero, ut prope magis arduum fuerit scire, quam servare. Civitatem lucensem, veterum exemplo, suas leges, sua jura condidisse. Sed ea aut discordiis civilibus corrupta, aut tot annorum servitute pene extincta. tot impotentibus tyrannis subinde imperium occupantibus; quibus cupiditates pro legibus erant. Pisanis praecipue, quorum crudelis et acerba dominatio, omnis divini humanique juris naufragium fuit. quo tempore si qua interdum lex scripto proposita, non ea vetandis vitiis aut suadendae virtuti, sed per omnem injuriam lucense nomen obterendo extinguendoque. Itaque ad tollendam omnem memoriam, delendaque vestigia praeteritorum temporum, quorum nemo sine horrore meminisse posset; novum legum corpus condendum, quibus potentiorum, tenuiorumque jura aequarentur: quo uno maxime libertas consistit. Huic rei IX. viri, terni e quaque tribu lecti, qui una cum Coluccino Salviato decemvirali scriba, cujus magna sapientiae fama iis

temporibus erat, leges emendarent, inque unum corpus redigerent. Fuere ii Conradus Podius, Ursus Barsellottus, Bettus Buzolinus, e tribu pauliniana: Bartholomaeus Forteguerra, Bartholomaeus Bonmesius, Luisius Boccellius e tribu D. Salvatoris: ac denique e martiniana Simon Barga, Franciscus Guinisius, et Gulielmus Benettonus. Illud etiam concordiae causa sancitum, per XVIII. viros publicae tranquillitatis custodes, ut pestifera Guelphorum ac Ghibellinorum nomina, quae tot annis una cum caetera Italia civitatem misere laceraverant, omnino abolerentur. Edicti summa haec fuit. Illi qui in posterum ea vocabula usurpasset, C. aureorum multa esset. quique intra X. dies eam summam in aerarium non intulisset, ei lingua amputaretur. cautum etiam, delendis omnino factionum vestigiis, ne quis cliens, aut obnoxius, insignia principum, aut liberarum civitatum, praeter quam lucensis populi, aut caesaris pontificisque in aedium fastigiis foribusque haberet: quaeque prae foribus templorum arciumque, aut alio quovis loco extarent, praecipuae Pisanorum ac Joannis Agnelli, dejicerentur: ne quid hostile usquam occurreret, oculosque tristi aspectu incestaret. Ad fores palatii decemviralis clypei cum insignibus Urbani pon-

tificis, Caroli augusti, et cardinalis Guidonis statuerentur; quos patriae patres liberatoresque suos lucensis populus venerabatur. Et quamquam nihil jam, aut ab Italiae regulis, aut liberis civitatibus timeretur, tamen in pace belli curae non omissae. Itaque externi milites stipendiis conducti, quorum imperium delatum est Becchino Marianensi, qui militari laude iis temporibus florebat. eodem studio, ne aliquando ab hostibus occupatae negocium reipublicae facerent, dirutae munitiones, turresque in oppidis Gallicano ac Trepiniana: nec non turris in finibus agri florentini ad Vicum Aramum una cum muris castellisque. Per idem tempus renovatum foedus cum Florentinis veteribus sociis; missusque ad illud feriendum Luisius Boccellius. et ne quid omitteretur, quod ad praesens firmando civitatis statui facere posset, summa potestas triumviris permissa, ut cum quibusvis regulis, liberisque civitatibus, pactiones ac foedera inirent, quibus legibus e republica videretur. Fuere, omnium ejus aetatis negociorum curationumque arbiter Franciscus Guinisius, Simon Boccellius et Bartholomaeus Nuccius. Eodem anno Minucianum, lunensis regionis oppidum, quod antea lucensium fuerat, ad antiquos dominos a Bernabone Insubrum regulo defecit. cujus exem-

plo Cardosium et ipsum in veterem reipublicae possessionem rediit. Utrinsque loci incolis in VIII. annos indultum, ut ab omnibus oneribus immunes essent. missusque ad ea oppida commeatibus ac munitionibus firmanda, si quid ab Insubro moveretur, Orlandinus Vulpellius. Creati quoque VI. viri, qui maritimae rei praeessent, curarentque ut Mutronis portus tuto adiri, in eoque negotiatores sine periculo stationem habere possent. tum ad locum frequentandum, privilegiis ac immunitatibus advenas invitare jussi. isque magistratus, exemplo aliarum gentium, quibus in mare jus est, consules maris appellati. Creatos eodem anno, signandae pecuniae triumviros monetales, quidam annales tradunt. sed eorum fides actis senatus arguitur, quibus id per initia sequentis anni, Francisco Guinisio principe decemvirorum factum constat. fuere ii Fredus Martinius, Benedictus Nachus, et Vivianus Sembrinus. Nota aeris fuere ex altera parte Vultus Sanctus, ex altera capitalis litera lucensis nominis. argenti (quippe novi pretii argenteus percussus est) signatura D. Petri effigiem, Crucemque adscripto circum lucensis urbis nomine praetulit. quae quamquam minuta Romani etiam scriptores non omisere: qui bigas quadrigasque, ex quibus bigati qua-

drigatique, pecuniae notas tradidere. Consultum etiam novae libertatis decori. Cumque decemvirorum sedes, qui ad eam diem in palatio ad basilicam D. Michaelis ad forum manserant, humilior quam pro reipublicae dignitate videretur, novum aedificare coeptum in augustae vestigiis, magnificentius laxiusque: quod deinde posteri adjectis molibus angustius fecere: ut deinceps publici consilii templum sacrariumque libertatis esset, ubi olim fuerat servitutis ac tyrannidis receptus. Fine anni Urbanus V. pontifex maximus supremum diem obiit. Vir prisca sanctimonia, ut etiam de eo consecrando actum sit. primus gallorum pontificum repetendae Italiae auctor; cui solidam egregii consilii gloriam mors invidit. Ejus obitus toti christianae reipublicae luctuosus, privato moerore Lucensium animos confudit. Quippe Carolo praecipuus liberandae civitatis auctor fuerat, aerarium longa servitute exhaustum, ingenti summa juverat; pensionesque, ut quaeque caderet ob angustias rei nummariae cum solvi non potuissent, in aliud atque aliud tempus prorogaverat; neque studii quicquam aut benevolentiae omiserat, quo se parentem ac liberatorem populi lucensis ostentaret. proinde ejus memoria aeternum apud nostros homines floret vigetque, gratis animis

pectoribusque, quam marmore aut aere perennius insculpta. Haec ferme primo receptae libertatis anno gesta: patribus tot diversarum rerum cura distentis. sed omnium intentioni sufficientibus animis, quibus, quamquam alias insito ingenii ac consilii robore validis, vigor, sapientia, providentia, omnia denique libertas erat.

Insequenti anno (1), principe decemvirorum Francisco Guinisio, cum comitiorum dies instaret, decretum ut magistratus in annum ac sex menses designarentur. ita plures honoribus fruituros, nec id esse spatii ut timeri posset ne majestas reipublicae ad indignos perveniret. Itaque februario mense comitia habita. Collegia ordinavere Franciscus Guinisius princeps, Franciscus Guidiccionius, Turellinus Bonuccius, Bettus Buzolinus, Luisius Boccellius et Bartholomaeus Balbanus. Cumque Urbano Gregorius XI. suffectus esset, destinati oratores, qui novo pontifici reipublicae nomine gratularentur. Thomas Obicius copiarum pontificiarum sub Urbano praefectus, Simon Barga, Marchesius Gilius, et Simon Boccellius. Ea legatio benigne a Gregorio excepta: qui ne in amore Lucensium a decessore vinceretur,

(1) Ann. 1371.

e L. aureorum millibus qui pontificio aerario debebantur, dimidiam portionem remisit: ususque est plurium Lucensium opera, praecipue Guinisiorum, qui in aerarii difficultatibus saepe summum parentem praesenti auxilio juvere. Interea Antelminellorum familia, privatae fortunae impatiens ad ingenium redierat. Aldericusque saepius patriae turbarum auctor, provinciae feronianae oppida, qua vi, qua pollicitationibus abducere tentabat. E quibus Novocastrum et Castellionem praecipua ejus tractus cum quibusdam aliis reipublicae abstulerat: saxumque, arcem situ ac operibus validam, seu armis, seu praefecti proditione occupaverat. unde is in exilium actus, munitio postmodum solo aequata. Addebant temerario homini spiritus, plures Ghibellinarum partium; qui se armis illius adjunxerant, quotidie ad eum confluentibus quorum in pace desperatae res, meliorem fortunam e tumultu belli ominabantur. eorumque subsidio universam pene Camporegianae praefecturam uno impetu ceperat. Quare ad eum comprimendum Joannes Obicius, jam reipublicae conciliatus, cum exercitu missus. primoque varia fortuna, prosperis adversisque rebus utrinque pugnatum, donec unde ratio erat, etiam victoria stetit.

Nec tranquilliores in civitate res erant. Nam

dum primores indignum putant, ipsis a decemviratu exclusis cuncta populi nomine agi, gravis controversia exorta fuerat. dumque alii pro retinenda populi appellatione, alii pro abolenda, in ejusque locum reipublicae nomine substituendo contendunt, tumentibus in dies animis atrocius dissidium apparebat. Sed cum in senatu variis contentionibus jactata res esset, demum sententia eorum qui tunc in civitate plurimum poterant, ut populi nomen ac jus retineretur pervicit. Quare signo dato undique ad arma concursum: prolatisque regionum vexillis, Tribuni cum suis manipulis in auxilium laborantis patriae advolant comprehensisque Nuccino Sornachio, Stephano Quarto, ac Nicolao Costorio, qui in eo tumultu ferocius egerant, ac supplicio affectis, ab armis discessum. Sed non cum armis animorum quoque irae positae. sed introrsum alte pectoribus abditae, in tempore deinde malo civitatis erupere. Dum haec per civiles discordias geruntur, nunciatum est Gallicanum, validissimum ac nobile provinciae feronianae oppidum ad Turritam amnem situm, ad partes Antelminellorum defecisse: suspecta Joannis Honesti fraude, qui populi lucensis nomine ei regioni imperitabat. Quare cum expedita peditum equitumque manu, quammaxima in ea

trepidatione colligi potuit, ad illud recipiendum Lucenses convolavere. Divisis copiis, quarum parti Joannes Obicius, alteri praetor urbanus Hugolinus Gallutius bononiensis praeerat. qui castris ad oppidum positis cum illud summa vi oppugnare coepissent, tandem ad deditionem compulere. Itaque recepti in fidem oppidani, iterum Lucensi ditioni se subjecere. Post eam victoriam cum Obicius in urbem reditum pararet, decreto patrum prohibitus est: cum proximae seditionis auctorem eum fuisse constaret. Sed homo contumeliae impatiens, praecipiti temeritate spreto senatus imperio, ingredi urbem, ac se se inimicis ostentare non secius statuit. Itaque insigni equo vectus, armisque collucentibus, per portam D. Gervasii jactabundus et quasi patriae victoriam imputaret, custodibus obsistere non ausis, civitatem ingressus est: vana spe dominationis inflatus, quam amicorum clientiumque ope se assequuturum sibi persuaserat. Quod ubi per urbem fama vulgavit, decemviri nonnullis civium in re trepida in consilium assumptis signum ad arma concurrendi e palatina turri dari jubent. Quo audito, cum undique ad arma conclamaretur, momento omnes sub suis vexillis in armis stetere: eumque sua spe destitutum, ac consensu civitatis exterritum

capiunt carcerique includunt. dedissetque temeritatis suae poenas, nisi senatus, nondum plane confirmatis rebus, civili sanguine abstinendum sibi judicasset. paulo post e carcere emissus exulare jussus est, datis ante vadibus, exilii fines non egressurum. Spopondere pro summa X. millium aureorum Nicolaus Diversius et Ranerius Carus. qui, furibundo homine iterum publica imperia spernente, bonitatis suae poenas dedere. Eodem tempore cum inimicitiae inter Franciscum Guinisium et Jacobum Ronghum exortae essent, timereturque ne res potentia certantium in apertas factiones damno publico erumperet, consilii XXXVI. Virorum decreto, auctore Francisco Dato, sancitum ut arbitri finiendae discordiae legerentur: qui eorum arbitrio non stetisset, ei decem millium aureorum multa esset. Eodem anno legatio Florentiam missa ad renovandum cum eo populo foedus. Cumque pontificis nomine Ramizinus Ramizinius senatui exposuisset, eum ut parentem comunem pro publica Italiae pace optare, ut una cum caeteris regulis ac liberis civitatibus Lucenses quoque foederi nomen adscriberent, lecti Andreas Bellomus et Orlandinus Vulpellius qui publico nomine pactiones inirent. Compraehensi eo foedere summus pontifex, Florentini, Senenses, Lucenses,

Pisani, Aretini, Cortonenses, ac III. Kal. novembris senatus consulto leges firmatae. Foedus quoque sancitum cum Alderico caeterisque Antelminellis, certis legibus, inter quas ne quis ejus gentis praeter Savarigios urbem intraret: quae conditio deinde sublata est; edictumque si quis Savarigiorum ad urbem injussu senatus accederet, eum capite poenas daturum. Haec cum domesticis hostibus acta: verum ad redimendas injurias, non Lucensium tantum, sed communium Italiae totius, imo jam Europae, hostium, alia ratione provisum. Jam inde ab anno 1353. Morialis ex equestri Rhodiorum ordine, gente Gallus, fons et origo hujus mali extiterat. Is militiae strenuus, animo inquies, ac rapto vivere assuetus, quicquid a bellis cessatum foret, damnum putabat. Itaque novum consilium iniit, ut etiam in pace belli commoda caperet. nec materies quaerenti defuit. Gallorum Germanorumque multitudo, quae per Italiam stipendia facere consueverat, confecto bello pacis mala tristis aspiciebat. His ad se se vocatis, si secum pactionem inire velint, ducem spondet. praemia satis ampla eorum conatibus fore, spolia ac praedas urbium populorumque, quorum nemo tantis viribus par futurus esset. quocumque accessissent, armorum terrore ostentato, aut aurum redimendae

calamitati gentes sponte oblaturas, aut contumaciae poenam direptione ac vastitate agrorum daturas. Ea spe accensos facile in consilii societatem pertrahit: in diesque alii atque alii desperatis rebus, ut quisque facinorosus et audax cuique nulla in tranquillo salus, undique ad eum confluebant. Quare jam multorum millium, tam ex pedestribus quam equestribus copiis, manu collecta, per Italiae regiones late pervagari coepit, cunctaque velut continenti incendio ac ruina involvere. Et quamquam mox pessimi exempli auctor meritas poenas luisset securi Romae percussus; tamen sceleris disciplina profecerat, aliique permulti paria audebant; sparsis jam non per Italiam modo, sed etiam per Gallias Hispaniasque praedonum societatibus (sic eas appellabant) qui publico latrocinio orbem terrarum infestabant. Praecipui earum duces Landus, Joannes Agutus, Anichinus, Bongardus Luciusque: quorum postremus hoc anno, copiis lucensium finibus admotis, VI. millia florenum aureorum flagitabat, minaci denunciatione, si ea summa negaretur, se cuncta ferro flammisque populaturum. Eam procellam utcumque avertendam patres rati, ne reipublicae vires adhuc imbecillas bello concuterent, cum latronibus quam minimo transegere. Vergente jam anno V. Idus octobris Lucam accessit car-

dinalis Sabinensis. Erat is Philippus Cabasolus insigni nobilitate, quem Gregorius italicarum rerum praefectum constituerat. exceptus solemni officio in aedibus antistitum, donisque e publico magnifice ornatus, civitati amicus discessit. Cumque gravi autumni tempestate passim corpora affligtarentur: civitasque in dies funeribus minueretur, ad impetrandam caelestium pacem, placuit ad Divorum sepulchra, quorum in urbe conditi cineres jacent, anniversario die faces e publico praeberi, unumque aut plures decemvirorum solemnibus sacris interesse. Idem annus novum magistratum reipublicae attulit, qui arcanis rerum majorum consiliis adhiberetur: unde et nomen illi a secretis impositum. tum praeterea, quemadmodum olim in romana republica apud censores, ita penes eum morum ac disciplinae regimen esset. Primi eum honorem cepere Franciscus Podius, Janinus Spada et Albertus Serpentius. In annum durare placuit, quo jus ac reverentia major esset. Isque magistratus post decemviros gravissimus honestissimusque habetur: nec nisi civibus nobilitate ac innocentia claris eum mandare mos est. Qui gessere, non nisi exacto novem annorum spatio, refici fas est. Ea re amplissimae potestati modum imponere visum. quae tanta est, ut ignominia notare, in exilium pellere, aliisque

ad arbitrium poenis afficere illi permissum sit, eo jure ut non aliter quam si unis ratio constet. Judicia apud eos minime forensi usu exercentur. Summa causae cognoscitur. factique fides non quaestione ac testibus, sed indicum religione aestimatur. palamque est disciplinam moresque civitatis una cum veneratione, ac majestate censoria semper stetisse; sique ea aliquando gerentium vitio obsoleverit, simul concidisse.

Exacto per haec anno, insequens successerat (1); per initia cujus ne quid civitati firmandae omitteretur, pax cum Pisanis sancita, scriptaeque leges in quas uterque populus juraret. Aspexerant Pisani aegris oculis Lucensium libertatem, praedamque sibi e faucibus ereptam diu concoquere nequiverant. Sed cum omnia frustra fieri intellexissent, quae adversus civitatem moliebantur, eam tandem cogitationem omisere. Itaque pacis mentione injecta, senatus Marchesium Gilium et Dinum Malapresium foederis leges conficere jusserunt. Summa fuit, ne ulla mentio injuriarum fieret, quae ante adventum Caroli imperatoris in Etruriam, utrinque illatae fuerant.

---

(1) Ann. 1372.

non res repeterentur. nihil stipendii nomine ab ullo Pisanorum, ob gestum in lucensi civitate munus postularetur. proscriptiones, exilia, multae, aliaque judicia utrinque facta rescinderentur. si cui civi pisano in civitate lucensi negocium aut controversia sit, aequo jure disceptaretur. idem Lucensibus in civitate pisana jus redderetur. reos atrocium criminum ab altera civitate proscriptos, altera intra suos fines non reciperet. si Pisanus quippiam deberi sibi a lucensi cive contenderet, eum appellare, retinere, aut in custodiam mittere fas non esset, nisi prius per literas aut legatos pisani magistratus lucensem senatum certiorem fecissent. ea denunciatione facta si intra quatuor menses iis satisdatum non esset, jure suo nomen persequi liceret. In has leges foedus in quinquennium ictum. cui etiam adscripti nobiles, qui Librafactam, insigne ad Auserem oppidum, obtinebant: quod in fide populi lucensis essent. Eodem tempore cum Lucchesius Spinula res negociatorum lucensium retinuisset, mandatum a senatu triumviris, ut eam controversiam componerent. major clades ab Anichino Bongardo latronum duce imminebat. quippe datis ad senatum literis quibus se per Etruriam iter facturum significabat, simul mutuo sibi X. aureorum millia dari flagitabat:

rescribique amicum ne, an inimicum habere vellet. Iis literis acceptis patres VI. viros creavere, qui cum communibus hostibus agerent. ab iis Oratores missi, quae tempori apta erant, metu majoris mali respondent, remque ex utilitate reipublicae transigunt. atque ita is turbo prudenti consilio discussus, qui Pisanorum agrum, cum iis cunctanter imperata fecissent, ferro flammisque vastaverat. Nec tam ab externo, quam a domesticis hostibus respublica afflictabatur. Nam Joannes Obicius jampridem dominatione populi infensus, cum apud Florentinos exularet, spem illis fecerat, posse proditione Lucam intercipi. praecipue tunc incolis vacuam; quorum partem absumpserant morbi, partem metus mortis alio disperserat. Jamque occultis consiliis res agitari per amicos Obiciorum in urbe coeperat: nonnullique e Versilia proceres tentati promissis, se se comites sceleris adjunxerant. eaque spe Florentini equitum peditumque magno numero, tamquam alia animo agerent, collecto, opportunitatem opperiebantur. Sed ut proditorum consilia infelices plerumque exitus habere solent, patefacta conspiratione, nonnulli supplicio affecti, alii fuga mortem evasere. evocatisque in urbem ex agro militibus, cum omnia interiore cura agerentur,

Florentini desperatis rebus in Pistorienses arma vertere. Verum paulo post Obicius, quoniam occulta consilia non successerant, vi utendum ratus, adjuncto sibi Conrado Bectingero cum Germanis, quibus praeerat, latronibus lucensem agrum infesto agmine ingressus, lateque regionem depopulatus, Morianum validissimum eo tempore ad Auserem oppidum montis dorso impositum, quod antea ditionis Obiciorum fuerat, vix ostentatis vexillis proditione Barsellotti, qui loco praesidebat, occupavit. Unde crebri in subjectos agros impetus, ac injuriae oriebantur. Juvabant ejus consilia quidam nobilium populari factioni infensi, qui copiis quibus praeerant illi adjunctis, suis viribus, rempublicam oppugnabant. Cui malo ut patres occurrerent, ad conducendum externum militem ex Aemilia Flaminiaque misere. quorum jam adventantium fama territi hostes oppidum turpi fuga deseruere: aliique per Galliam cisalpinam, alii in florentinum agrum, alii alio dilapsi civitatem ea cura solverunt. Lucenses oppido potiti moenia turresque, ut in posterum hostibus spem adimerent, solo aequavere. Ducibus vero militibusque stipendia ex Obicii rationibus persoluta, eam summam qui pro eo spoponderant multae nomine in aerarium intulere. Melioribus longe ci-

vibus Nicolao e Dalli et Francisco e Montisclari nobilibus respublica usa est. quorum alter Montemclarum cum adjectis longe lateque silvis, prior Dallum sui juris oppida lucensi dominationi adjunxere. Utrique gratiae a senatu actae, justique pro merito honores habiti. Nicolao etiam menstruum perpetuum aureorum X. constitutum, quod ex aerario caperet. Verum, quoniam Dallum saepe a Lucensibus rebellaverat, placuit, frangendis oppidanorum animis, castellum solo aequari. Sed ut in contumaces animadversum, ita qui pro fide erga rempublicam varias clades acceperant, patrio animo a senatu respecti. Quare cum oppidum Veneris (ita appellant a templo ei deae antiqua superstitione dicato) non longe ab amne Pissia ad radices Clodiensium situm, praeteritis bellis ruinis deformatum, ac incolis vacuum, pene ad solitudinem redactum esset; Patres ei frequentando immunitatem a vectigalibus concessere iis qui eo sedem domumque transtulissent. Sal tantum in capita emere jussi. praeterea omne aes alienum remissum, quod intra annos XXV. contraxissent: turrisque publica pecunia excitata. Eodem anno decretum ut vici urbi continentes muris, valloque cingerentur: qui hactenus patentes ac pervii, hostibus aditum ad subitas

incursiones praebuerant. molae quoque a ponte ad Sextum Lucam usque Auseri impositae amoveri jussae: ut amnis meare liberius posset; qui antea earum objectu retentus in circumpositos agros magna strage effundebatur. cumque quibus ea curatio obvenerat novarum legum tabulas confecissent, ex S. C. eas publicare visum, ut in mores inducerentur. Nec certe mediocris sapientiae, ac laboris fuit ita jura temperare, ut populo ac nobilitati, quorum animi ac studia multum absunt, probarentur. praecipue cum ex longo intervallo liberae dominationis forma repeteretur: nulliqne aut pauci veram rempublicam vidissent. praeterea tot tyrannis subinde dominationem occupantibus, ignota jam ac peregrina res juris aequabilitas erat. nec dum plane a praeteritis motibus quieta civitate, anxii ac suspensi ea suspicione animi civium erant, ne publica negocia sincere, ac ex fide tractarentur.

Inierat jam quartus receptae libertatis annus (1), cum vix sedato Obiciorum tumultu, ab alia parte turbatum est. Una cum Minuciano nonnulla alia oppida se se Lucensibus dediderant: quae una praefectura compraehen-

(1) Ann. 1373.

sa, quam quod ultra Apennini juga ea regio existat, praefecturam ultra jugum appellari placuit, tranquillo imperio per praetorem regebantur. Inter ea Pulianum situ ac operibus munitum, magnumque in ea regione rerum momentum erat. Praesidebat arci ex loci primoribus Cicchinus appellatus, qui fidei ambiguae capta opportunitate, oppidum reipublicae ereptum suae ditionis fecerat: fretus auxilio regulorum Malespinarum, qui per eum tractum late imperabant. In eum primo Nicolaus Veglius Massae lunensis praefectus cum expedita manu ire jussus. mox submissi tres praefecti militares Turellinus Bonuccius, Matthaeus Nutinus, ac Nicolaus Guinisius, una cum praetore urbano (Franciscus Campellus eo tempore praeturam obtinebat) cui armorum imperium, ac totius belli gerendî summa delata. Is rebus prospere gestis oppidum recepit. copiis inde Casulum ejus praefecturae caput admotis, ipsum quoque pulsis hostibus iterum in populi lucensis potestatem redegit. et quoniam reguli Malespinae proditorum conatus juvisse manifeste arguebantur, bellum per caduceatorem iis indictum: vetitumque ne quis tamquam cum hostibus populi lucensis ullum pacis bellique commercium haberet. bona eorum occupari, vitam caputque tamquam per-

duellium, sacrum ac intestabile haberi jus fasque esse; nec dubium erat quin omnis ea regio lucensi ditioni adjungi victoria posset, regulis armorum vi expulsis, nisi cardinalis Bituricensis, qui pontificis in Italia legatus erat, misso Michaele Volaterrano senatum orasset, ut in gratiam ipsius ab armis contra Malespinas discederetur. Atque ita id bellum finitum, regulique in amicitiam recepti: e quibus Luchino Marcoque, cum id precibus contendissent, civitas data: ipsique omnia ditionis suae oppida lucensi dominationi adjunxere. missique qui publico nomine ea reciperent, populosque in lucensis populi verba sacramento adigerent. Et quoniam ea tempora turbidiora erant, ut sincera ac diuturna pax sperari posset, ad subitos belli casus ex agro, ac municipiis delectus haberi militum placuit; qui in manipulos cohortesque sub suis vexillis distributi, ubi res posceret praesto adessent. praecipuae vero turmae ballistariorum conscriptae, quorum iis temporibus magnus in bello erat usus: nondum ferreis arundinibus sulphuratoque pulvere in hominum perniciem mali genii subtilitate repertis. Illud etiam provisum ad contundendam populorum provinciae feronianae ferociam, ut specie committendae urbis eorum custodiae primores acci-

rentur, qui tamquam obsides popularium suorum animos a rebus novis averterent. Quod etiam in aliis regionibus factum, ut ex oppidis juventus in urbem evocaretur; tum ad eam frequentandam, cum in dies saeviente pestilentia detereretur; tum ut municipali otio torpere assueti, artium industria excolerentur: pignusque e singulis populis respublica in ea temporum ambigua ac nutanti fide haberet. Nec eam providentiam supervacuam fuisse eventus docuit. Nam paulo post a florentino senatu literae redditae sunt, quibus significabatur Galeatium Mediolanensium regulum ad sua stipendia cum CCC. hastatis centumque Pannoniis, ac praeterea magna ballistariorum manu Conradum Bectingerum conduxisse, ut Lucensibus bellum inferret. proinde ut fideles socios deceat, monere ne imparati ab hostibus exciperentur. quicquid in eis consilii, quicquid opis esset id omne polliceri; nec alia quam promitterent fide praestituros. Sociis gratiae actae pro benevolo in rempublicam animo. Caeterum haec in speciem potius quam sincera amicitiae fide jactata dubitari poterat; cum et Obicium reipublicae hostem in sinu foverent, ejusque conatus non tam dissimulanter, ut ignorari posset, adjuvarent: quem deinde etiam armorum suorum ducem crea-

vere. Patres, quocumque animo haec agerentur, non aspernanda rati, VI. viris, qui tunc prudentiae fama clari habebantur, negocium dedere, curarent, ne quid respublica detrimenti caperet. Fuere ii Joannes Mingogius, Bartholomaeus Buzolinus, Jacobus Rapondus, Luisius Boccellius, Franciscus Guinisius, et Nicolaus Serpaganus, qui praeter domesticum, ad urbis custodiam externum quoque militem adhibuere. conducta C. loricatorum equitum turma, quos ab hirsutis galearum jubis barbatos appellabant (1). ac praeterea CCXX. ballistariorum ac totidem scutatorum manu: praeter eos, qui ab exilio revocati sunt, ut eorum opera in bello respublica uteretur. Sed praeter excursionem Joannis Obicii Germanorumque nil gravius incubuit. qui tamen immissis copiis strenue propulsati, ac finibus excedere coacti. Longe majore incommodo pestilentia urgebat: quae morbis per corpora vulgatis affectam tot paulo ante cladibus civitatem, et cui tunc maxime civium frequentia opus erat, eo praesidio nudatam aliis insuper malis onerabat: cum in dies plures morbo, multi metu desiderarentur. eoque jam ventum

(1) Barbute

erat, ut pauci magistratus capere, ac publica munia obire aut possent, aut, quod longe miserius erat, vellent. novoque ambitionis genere fasces ac purpura prensando rejiciebantur: privatis commodis, ut plerumque evenit, publicas utilitates vincentibus. Quare in ea reipublicae orbitate, Andrea Bellomio auctore, senatus decrevit, quicumque sorte eductus decemviratum inire, aut initum exercere detrectasset, ei D. aureorum multam esse. Eodem anno cum Romae supremum diem obiisset Gulielmus civitatis antistes, terni cives ex quaque tribu lecti, ut in ejus locum a pontifice maximo subrogandum postularent, qui eo fastigio dignus videretur. more tradito ut, salva summi sacerdotii libertate, eos civitatibus praesides sacrorum pontifices maximi imponant, qui jam populo virtute, ac fama conciliati illius favore eum honorem capiant. ita comparata ratione, ut quisque facillime imperia toleret, quorum auctor existit.

Insequens annus (1) magnis suspicionibus per initia turbidus, ob inquietum Joannis Obicii ingenium, aliorumque exulum, qui patriae irati ejus partibus se se adjunxerant. Quare

(1) Ann. 1374.

negocium censoribus datum atroci senatusconsulto, viderent ne quid respublica detrimenti caperet. Simul ingens pecunia eorum arbitrio permissa; omnisque alia potestas, quae amplissima iis verbis traditur. utque omnis spes temerario homini praecideretur, cum in civitate nonnullos occultis studiis ei favere compertum esset, ii in exilium pulsi, patrum animos sollicitudine exoneravere. Unde omnis cura in externum hostem conversa, cum domesticum malum, abscissis quietis perturbationibus sanatum esset. Ab eadem cura ea cogitatio profecta, ut Campus major (insigne id oppidum est ad occidentem in frugifera valle, cui alpes incumbunt, non longe a mari situm) moenibus cingeretur. praeter loci opportunitatem datum id etiam municipum honori, quos fideles fortesque viros respublica semper experta est: ex eoque plures honestae civium senatorumque familiae prodiere. In illud opus remissa oppidanis vectigalia in quinquennium: imperatumque incolis praefecturae lunensis feroniensisque, ut singuli quinque operas oppido muniendo conferrent. Praefuere operi Franciscus Podius, Luisius Boccellius, et Dinus Guinisius. murique intra octodecim mensium spatium absoluti, cum pinnis turribusque ac portis quadrato saxo extructis: arce praete-

rea cum turri ac propugnaculis, pari securitatis, ac magnificentiae ratione. eaque munitio illa tempestate inter nobiles censebatur. Eodem anno cum a Guelpho Puliesio pratensi equestris ordinis injecta mentio fuisset apud decemviros de renovanda cum Florentinis societate, res ad senatum delata, dignaque visa, quae in opus conferretur. Redierat non ita pridem Guelphus Florentia, in qua urbe privati negocii obeundi causa per aliquot dies fuerat. mixtusque, ut fit, conventibus civium malam de Lucensibus famam, quamquam falsam, esse compererat: vulgoque existimabatur infenso animo cives nostros in eum populum esse; nec ullam occasionem abire passuros, qua se illi, quacumque re possent, incomodos praeberent. eamque opinionem in animis popularium, eam in procerum insedisse. Quare pro suo in civitatem studio, quam patriae praetulisset, quantum privato, ac externo homini in aliena republica consulere fas sit, ex utilitate publica censere, eam existimationem, insigni aliqua benevolentiae specie, e Florentinorum animis revellendam. non expedire Lucensibus, quorum nondum plane confirmatae res sint, potentis, atque adeo iracundi ac contumacis populi inimicitias suscipere. plenam esse latronum copiis Italiam, quas per se infestas, ac

praedae cupidas, facile sit impellere. itaque non committendum ut si quid forte, quod omen superi prohibeant, acciderit, meritis contigisse videatur. Id consilium ut ab amico simplicique profectum animo senatus complexus, nobilem legationem, cujus princeps extitit Franciscus Guinisius, Florentiam ad renovandum foedus destinavit. Guinisio adjuncti Matthaeus Nutinus, Luisius Boccellius, et Luisius Balbanus, sine controversia primores civitatis senatusque ejus temporis lumina. Legati honorifice excepti, deductique: nec ulla a Florentinis significatio omissa, qua se optime erga populum lucensem animatos testarentur. cumque eis senatum dedissent, princeps legationis Guinisius, ut erat insigni prudentia, quantumque ea tempora capere poterant disertus, in hunc modum loquutus fertur. » Si » fides socialis erga optimos socios et amicos » tam facile a calumniatoribus re aboleri, » quam violari verbis, posset, lucensis populus, » qui erga rempublicam vestram studio nulli » hactenus concessit, vetustae amicitiae gra- » tiam tot benefactis quaesitam profecto apud » vos amisisset: quique maxime omnium nomini » vestro devoti sumus, iidem hostes essemus: » Sed hoc ut caetera, summa illa ac caelestis » mens optime constituit, ut virtus intra animi

» sacrarium condita, extra ictum fortunae sit;
» et amitti a quoquam nisi voluntate non pos-
» sit. Neque nos alienae calumniae malignita-
» tem defendimus: cum tam in potestate no-
» stra sit benefacere, quam in illorum ma-
» ledicere. nihil nobis conscii eadem liberta-
» te amicos vestros profitemur, qua, si id
» meruissetis, inimicitias susciperemus. Non
» fugit nos per vestros homines in conventi-
» bus de ambigua populi lucensis erga ve-
» stram rempublicam fide saepe jactatum. Sed
» aliud est quod ab otiosis ac invidis, in-
» certis rumoribus seritur; aliud quod verita-
» tis invicta ratio, religioso rerum gestarum
» testimonio confirmat. Evolvite annalium ve-
» strorum memorias, consulite famam a majo-
» ribus per manus traditam, ea vos omni no-
» stra admonitione certius docebit, nullum
» Etruriae populum nomini vestro fideliorem
» lucensi fuisse. Placuit vobis Senensibus bel-
» lum inferre. eam expeditionem quamquam
» satis firma ratio non subesset, armis viris-
» que juvimus. virtuteque nostra, vestra for-
» tuna contenti fuimus. cumque respublica no-
» stra civium alios ferro interemptos, alios
» captivos desideraret: cum filii parentes, ma-
» tronae liberos virosque luctu ac moerore
» confectae repeterent; reipublicae orbitatem,

» propinquorum lacrymas vestrae societatis ho-
» nore solabamur . Eam cladem ruina par-
» tium Guelpharum consequuta , cum plerique
» nobilium vestrorum deserendam sibi patriam
» existimassent, nonne in sinum Lucensium ,
» tamquam fidelissimorum amicorum confuge-
» re ? quemadmodum apud nostros habiti ,
» quam hospitaliter excepti cultique non at-
» tinet dicere. neque nos venditare humani-
» tatem solemus. et de vobis benemerendo, be-
» neficium accepisse potius videri volumus ,
» quam dedisse. Sed ut caetera silentio prae-
» teream, illud certe maximum fidei nostrae
» documentum a vobis habemus; quod cum ea
» tempora reipublicae vestrae incidissent , ut
» alienae manus implorandae fuerint: totque
» circa Etruriae populis qui aut latius im-
» peritabant, aut virtute, aut consilio nobis,
» minimum pares erant, nos unos tamquam
» prae caeteris incorruptae fidei respexistis :
» nobisque (quo nullum majus praestari de
» aliena fide testimonium potest) reipublicae
» vestrae arbitria permisistis. Quare tot maxi-
» mis rebus expertam fidem desinant aliquando
» homines in dubium vocare: duosque populos
» tot amicitiae pignoribus constrictos, va-
» nis suspicionibus a mutuo complexu divel-
» lere. Nam quae postea consequuta sunt, ea

» non lucensi populo imputanda ; qui cum se
» quoque amisisset alieno arbitrio bellum, pa-
» cem, foedera, inimicitias suscipere cogeba-
» tur. Nemo nobis Ugutionem, nemo Castruc-
» cium objiciat, quibus tamquam turbinibus
» agebamur, non agebamus. quorum tempo-
» ribus, si quid adversus antiquam nominis
» vestri venerationem peccatum est, satis gra-
» ves poenas profecto dedimus. Et ne dum
» vestros, qui ad misericordiam facti estis,
» sed etiam acerbissimorum hostium animos
» satiavimus. Illud potius reputate quod vix
» recepta republica, primos in ea gratulatione,
» tamquam optimos amicos complexi sumus:
» quod manus vestras imploravimus, ut ad ju-
» gum servitutis excindendum nobis auxilio es-
» setis. Quae si vere, si non eloquentiae ambi-
» tu, sed religiose, et tamquam pro testimonio
» dici cognoscitis; quaecumque animis ve-
» stris opinio, secus quam par est, hactenus
» insedit, eam detrahi vobis non inviti patiami-
» ni. Nemini plus de nobis, quam nobis cre-
» datis. Adsumus publico nomine, ea fide,
» ea religione, qua sacrosanctum legatorum
» nomen gerentes esse aequum est; vobiscum
» societatem, amicitiam, foedus redintegrare
» cupimus. Haec Lucenses de Lucensibus di-
» cimus. haec reipublicae universae vox est,

» cujus nos nuncii atque interpretes sumus.
» quam mendacem fallacemque, prae obscuris
» privatisque hominibus existimare, neque ve-
» strae sapientiae est, neque nostri meriti.
Ad haec Florentini, tum rerum fide, tum,
viri auctoritate, quem in sua republica principem sciebant, commoti: » se vero inveteratum Lucensium erga florentinam rempublicam amorem agnoscere: nec secus unquam
» de optimis sociis existimasse respondent.
» hanc esse publicam mentem, hoc universi populi ore proferri. nec magnopere curandum
» qui obscuri homines in tabernis aut compitis
» garriant. in omni republica pessimum quemque loquacissimum esse. Quid Florentini de
» Lucensibus sentiant, satis aperta documenta
» saepius extitisse. Sed unum instar omnium
» esse, quod eorum fidei tutelaeque reipublicae suae arbitrium credidissent. in quam
» magnifice a legato praedicatum tam a se
» grate recognosci: ejusque rei memoriam non
» magis literis, quam animis haerere. Itaque
» quod semper fecissent, Lucam ut civitatis
» suae germanam eximia caritate complecti.
» missurosque brevi, qui lucensi senatui gratias agerent, et ad communem libertatem,
» qua nihil hominibus melius a Deo datum
» sit, una mente, uno consilio tuendam foedus

» ac societatem renovarent. » Nec dictis fides abfuit. Venere paulo post e principibus civitatis Lapus Castilioneus, cujus magna ea tempestate in republica auctoritas erat, et Nicolaus Tornaquincius; qui summo honore laetitiaque excepti, diserta oratione utriusque populi merita invicem complexi; quicquid consilii, quicquid opis in florentino populo esset, id omne ad civitatis libertatisque tutelam spopondere: orantes ne cui in posterum aures praeberent, qui amicissimarum gentium animos, serendis maligne rumoribus, divellere niterentur. Quae res tam grata lucensi populo accidit, ut senatus, Francisci Guinisii auctoritatem sequutus, IX. civibus negocium dederit, qui una cum legatis de praemiis ac honoribus Guelphi referrent. quorum sententia is CCC. aureis donatus, eique civitas data est, ut tam bono jure, quam qui origine, civis esset. Eodem anno per Etruriam annona laboratum: quod malum superiore anno exortum, totam fere Europam pervaserat. Quare Francisci Guinisii sententia missus Nicolaus Ronzinus orator in Galliam ad pontificem maximum, ut e regionibus ejus imperio subjectis frumentum exportare liceret. quod a pontifice lucensis nominis, ac praecipuo Guinisiorum studioso,

facile impetratum. dilatisque solutionibus iis quibus salis nomine debebatur, ea pecunia comparandis alimentis impensa.

Gravem agrorum sterilitate annum (1), turbulentior armorum tumultu excepit. Quippe bellum atrox inter Florentinos pontificemque maximum exortum, universam Italiam una clade involvit. Conceperant Florentini in sacros homines acerbas iras, ob negatam in summa rei frumentariae inopia alimentorum exportationem: quodque magis odia exasperaverat, Joannem Agutum latrocinantium copiarum insignem ducem, ipso colligendarum frugum articulo florentinum agrum hostiliter ingressum, vastitatemque ni summa ingens repraesentaretur, minitantem a pontificio per Italiam praefecto immissum, seu vere seu falso crediderant. Quare in ultionem accensi, pravo consilio universas fere imperii pontificii urbes uno tempore, una conspiratione, ad defectionem impulere. Quo facto magis deinde calamitatibus impliciti, diris ac execrationibus devoti, impietatis suae graves poenas dedere. consueto principum ac rerumpublicarum exitu, qui sacerdotii majestatem violare ausi, specioso

(1) Ann. 1375.

publicae rei praetextu, debitam generis humani parentibus venerationem exuunt. Lucenses, quominus renovato nuper cum Florentinis foedere, iis consiliis immiscerentur sors juvit. Nam initio anni Gregorius literis ad senatum datis, pacem se cum Bernabone et Galeatio Insubrum regulis inisse significaverat, eique rempublicam lucensem, tamquam utriusque partis amicam adscripsisse. proinde fecialem mitti postulabat, qui publico nomine ratam haberet. Pontifici ob patrias in rempublicam curas gratiae actae: missusque Philippus Astajus, qui foederis leges sanciret. Illud cum Florentinis reipublicae commune fuit, quod Aguti injurias, qui paria lucensi agro minitabatur, pretio redimere coacta est. erogatum in eam necessitatem ad VII. aureorum millia: data insuper latronum principi civitate. Memorabilis toti christianae reipublicae insequens annus extitit (1), romani sacerdotii gloria Italiae Romaeque restituta post annorum LXX. luctuosum exilium: cum quo simul postliminio reversa pax civitatibus, sacris majestas, metus ac reverentia tyrannis, romanae urbi splendor, quae senium exuere, ac revirescere visa est, cum tot annis situ

(1) Ann. 1376.

et squalore obsolevisset. Quippe Gregorius septembri mense cum universa aula XXXI. triremium classe Rhodano, ac inde in altum invectus, Idibus januarii sequentis anni Romam pervenit: incredibili totius Italiae plausu exceptus, confluentibus ad eum visendum adorandumque, tamquam lapsum e coelo hominem, quocumque accesserat populis: tanto laetitiae sensu, ut se amplum vitae fructum cepisse existimaret, qui ejus diei gloriam felicitatemque videre meruisset. Strepebant festis vocibus litora, illum orbis parentem, illum terrestrem Deum, illum salutem ac felicitatem Italiae acclamantium: eique secundum mare, ferentes ventos, famulasque tempestates precantium. Inter eos qui adventanti praesto fuere, Lucensium pietas excelluit, quos eum Scapris (1) maritimo Etruscae orae inter Massam ac Populonium oppido, hiberni maris procella detentum, honorifica legatione prae caeteris populis salutatum venisse, eximia cultus ac venerationis significatione, etiam florentinarum rerum scriptores tradunt (2). inveterato erga romanos pontifices civitatis obsequio: ac praeterea recenti adhuc Urbani memoria, cujus

(1) Scarlino.

(2) Boninsegnius ad ann. 1376.

patrii erga rempublicam animi, non minus quam fastigii successor Gregorius extiterat. Eo anno ad populi commoditatem ab Aesare fossa in urbem deducta, amne in eam a VI. lapide corrivato. cujus magnae utilitates fuere. Nam praeter molas illi inaedificatas, tingentium officinis, machinisque torquendo serico versatilibus, tum lanificio, ac postmodum pulveri sulphurato conficiendo servire coacta est: nostraque aetate signandae pecuniae novo ingenio laboravit: praeter corporum voluptatem salubritatemque, quae fervidissimo anni tempore, aquarum frigore ut ablui velint, invitat: secura periculi, quod rapidi ac profundi fluminum gurgites saepe nectunt incautis. Alia quoque aquis impensa cura: celebresque apud Corsenam, Villamque (oppida ad Limam fluvium sita) thermae, vetustate vitium ducentes, publica impensa refectae. cum timeretur ne salutares venae aut omnino excaecarentur, aut aliarum incursu earum salubritas corrumperetur. His pacis operibus etiam bellica inserebantur. cumque vicos urbi continentes muro cingi pridem senatus jussisset, hoc anno coeptum opus. Illud quoque ad subitos belli impetus provisum, ne quod antea saepe contigerat, equitatus libere per urbem discurrere posset, ut ad itinerum aditus ferrea claustra

angulis domorum infigerentur, quae ad primum tumultum adducta, ubi nulla esset suspicio laxarentur. Dum praesidia bello quaeruntur, etiam ad honestas artes respectum, quibus juvenum ingenia ad spem sapientiae excoluntur. Erat in civitate egregia doctrinae fama Raphael D. Augustini ordinem professus: hunc Patres honorario C. aureorum invitarunt, ut eloquentia aliisque artibus quae liberos homines decent, juventutem instrueret. satis gnari nobilitatem opesque sapientia commendari: nec ullum populum fama gloriaque celebrem magis apud posteros extitisse, quam qui literarum studiis floruisset. Hunc primum in vetustis monumentis reperio, qui publice ad docendam juventutem civitati operam locaverit. in quo homine senatus, praeter sapientiae famam, illud quoque sequutus est, quod et in civitate ortus, patrio affectu id munus obiret; sacroque ordini addictus non minus ingenia artibus, quam sanctitate mores excoleret. Eum locum deinde clari nominis viri tenuerunt, quem novissime jam ab hinc decennium, benignitate senatus mediocritas nostra occupat: magno ab illis et temporis et ingenii intervallo. Quietus tam domesticis quam externis turbis annus ierat; nisi nata res

subiti tumultus causa extitisset. Jam a vetustis temporibus apud aedem DD. Bartholomaeo et Pontiano extra urbem e D. Benecti disciplina sacri homines vitam degebant. Hanc una caeteris sacris aedibus inspicere ac pro potestate recognoscere, civitatis antistes (erat is Paulus Gabriellius eugubinus, domo nobilis) contendebat. Contra monachi jure suo se tuebantur, tamquam ejus imperio minime obnoxii. Res eo deducta est, ut cum antistes coeptum persequi perseverasset, multoque comitatu ad eam aedem perrexisset, qui intus erant, objectis foribus adventantem excluserint. Eo nihilominus in sententia obfirmato, ac insertis securibus effringi fores jubente, cum utrinque concertatio ac clamores orirentur, reque per urbem vulgata concursus hominum fierent, scissisque in diversa studiis, jam prope seditionem res esset; missi a decemviris, qui eum tumultum sedarent, ita pacis interesse rati, antistitem aditu prohibuere. Is, quod pro quiete publica fieret, adversus sacri ordinis majestatem interpretatus, praecipiti consilio sacra urbi interdixit, quae paulo post, missis ad summum pontificem oratoribus qui eum rei gestae ordinem docerent, benigne reddita.

Ad hunc modum exacto anno 1376 insequens excepit (1), nulla re insignis, nisi quod IX. viri in annum creati, qui pacis libertatisque custodes essent : curarentque una cum decemviris censoribusque ne populi dominatio quid caperet detrimenti . Ab his multa iis constituta, qui a decemviratu gerendo sorte educti excusarent : cautumque, ne in dicenda in senatu sententia, patribus praeterquam de eo quod relatum esset dicere liceret. alioquin perturbari ordinem, nec ullum dicendi consulendive finem fore, si quod cuique in mentem veniret, in medium afferre fas esset. Per initia insequentis anni (2), sedandis discordiis, quae ut supra memoravimus, inter pontificem maximum ac Florentinos exarserant, consilia agitari coepta: communique partium voluntate, ut scriptores historiae pontificalis tradunt, Luca tractandae concordiae sedes destinata. Quare pontificis nomine eo Ambianensis ex purpuratis una cum Narbonensi, ac Pompejopolitano antistitibus: cumque iis Otho Brunsuvicensis, quem postea Joannae reginae nuptiae clarum fecere, et Nicolaus neapolitanus copia-

(1) Ann. 1377.
(2) Ann. 1378.

rum duces cum exercitu Lucam accessere, magno honore excepti, publicoque sumptu magnifice habiti. quae res magno reipublicae stetit: angustis aerarii rationibus, quas in dies alii atque alii armorum motus exauriebant: cum eos auro quam ferro averti sapientius Patres existimarent. Ea legatio cum pridie Nonas martii in urbem adventasset, usque ad X. Kal. maii ibi sedem habuit. Sed pacis consilia agitantem Gregorium valetudo in dies destituebat, quam romani caeli gravitas praecipue per aestatem afflixerat. Quare in mediis conatibus VI. Kal. aprilis omnium bonorum luctu mortalitatem explevit. privatis Lucensium lacrymis defletus, quos eximia benevolentia complexus erat. Ejus desiderium christiano orbi, acerbitas temporum quae deinde sequuta sunt, vehementer auxit. Quippe scissis in subrogando successore Patrum animis: dum alii gallum, alii summo sacerdotio italum admovere cupiunt, vel jam admotum ob nimiam severitatem respuunt; creatis Urbano ac Clemente, Christi regnum pestifera secessione divisere. Unde mox factiones ac turbae, morumque et disciplinae labes; precario duorum pontificum imperio, et paratis ab asperiore transfugiis. Ita dum quisque subjectos ac obnoxios retinere studet, augusta illa summi sacerdotii majestas, regum

populorumque cupiditatibus servire, imperandi causa, cogebatur. Quibus etiam illud incommodi accidit, quod qui unus tot malis mederi potuisset, novembri mense Carolus imperator extinctus est: magnum imperii ac sacerdotii columen, et pacis bellique artibus inter maximos omnis memoriae principes censendus, nisi egregiarum virtutum laudem, nimio in degenerem filium Wenceslaum amore corrupisset. Nobis certe tamquam patriae pater, ac libertatis omnisque fortunae auctor perpetuo colendus: nec de eo aliter statuendum, ac si primus lucensis urbis parens et conditor extitisset. Ita profecto majores nostri, mala servitutis experti sensere: minore posteritatis affectu tamquam beneficia e longinquo aestimantis. Eo anno ad Urbanum (quippe Clemens vitio creatus erat) oratores, qui ei novam dignitatem gratularentur lecti Matthaeus Gilius, Joannes Barga, et Nicolaus Mordecastellus. qui cum honorem excusarent, lex a senatu in eos lata, qui publica munera refugerent: probata tantum valetudinis et absentiae causa. Missus quoque Genuam Nicolaus Podius, qui cum eo senatu expostularet ob retentas negociatorum lucensium merces. Cumque nomine Urbani pontificis Joannes senensis ejus nuncius a senatu petisset, ut copiae auxiliares ad

pellendos Italia latrones submitterentur, patres, omnia summo parenti grata cupere, sed temporum difficultate impediri, quominus postulata facerent, respondent. quod interim possent benevolum animum gerere, rem meliori fortunae reservare.

Sequens annus (1) nihil memorabile reipublicae attulit. Domesticis malis intactus quietusque, nisi eam securitatem metus a latrocinantium cohortibus, quae subinde finibus se se ostentabant, turbasset. quarum injuriae, unicum ei malo remedium, auro redimebantur. Ejus fine abrogatus IX. viris custodibus libertatis magistratus, qui in annum creatus, post refectus jam triennium duraverat: cum ea potestas quibusdam civium nimia videretur (2). Sed cum, eorum metu sublato, per nonnullos linguae immodicos, serendis maligne rumoribus adversus dominationem otium turbaretur, senatus ad eam licentiam coercendam negocium praetori dedit: satis gnarus quietem publicam veluti per gradus verbis ante dein factis violari. Intendebat patrum sollicitudinem Florentinorum status, quorum res domesticis discordiis eo tempore graviter

(1) Ann. 1379.
(2) Ann. 1380.

laborabant, ne tamquam contagio vicinus populus afflaretur: cum praecipue latronum agmina nullum quiescendi spatium darent. contra quos missi Florentiam oratores Matthaeus Gilius et Janinus Arnulphinus, qui reipublicae nomine una cum caeteris Aetruriae populis foedus in publicos gentium hostes ferirent. Actum deinde a patribus de minuendo luxu, ac lege sumptuaria ferenda. cujus remediis tunc eguisse civitatem vix credibile videtur: praesertim longa atque acerba servitute, totque impendiis, partim metu coactis, partim sponte erogatis, attritam. Sed auxilia morbum indicant: daturque aestimandi facultas qualis fuerit beatae ac florentis reipublicae status, cum exhaustae atque excussae succurrendum fuerit adversus luxuriam. Datum super ea VI. viris negocium, qui quae salubria civitati censerent, pro potestate lege sancirent. Fuere Turellinus Bonuccius, Franciscus Datus e tribu Pauliniana: Fredus Martinius, Jacobus Rongus e tribu D. Salvatoris: ac e Martiniana Landus Moriconus et Nicolaus Bartholomaeus. qui re mature perpensa, in hunc modum edixere. Feminae, quoniam ab ea parte hujus mali origo, ut gemmarum margaritarumque, praeter quam in annulis, usu abstinerent. nulla attalicam vestem auro argentove intertextam, nulla opere

phrygio pictam, aut ad oras auro fimbriatam, neve auream argenteamque coronam, gemmis ac unionibus distinctam ultra XV. continentes a die nuptiarum dies gestaret. Si quae contra faceret pater pro filia, vir pro uxore, pro sororibus germani multam solverent. Modus etiam funerum sumptibus impositus. praefinitusque numerus eorum, qui defuncto corpori assidere, quique lamentari aut prosequi funus deberent. tum ne quis se super extinctos projicere amplexuque atque osculo haerere: neu qua mulier praeter lamentatrices passis crinibus funebri die in publicum procedere; aut complorationes ejulationesque, praeter quam cum domo cadaver efferretur, facere auderet. Ac denique alio legis capite luxus conviviorum coercitus: omnis in ostentationem nuptiarum pompa, aliaque quibus mulieribus invidia ac aemulandi ardor stimulantur vetita. Ea lex ubi in publicum manavit, ut ferme in talibus evenit, pro habitu animorum diverse accepta. „ Quidam pertinere ad dignitatem reipublicae ajebant, ut quam splendidissimo cultu cives essent. aequum esse ut quemadmodum animi gaudio, ita corpora ornatu, libertatis bonum sentirent. tristitiam, ac sordes servitutis fuisse. jam tuto ostentari posse, cum nulli exitio futurae opes

» essent. acerbum, si quod reliquissent hostes,
» patres eriperent. conservandum matronis cul-
» tum, quem liberorum educatione ac pu-
» dicitia rependerent. ut maribus ex nova li-
» bertate honor crevisset; ita non invidenda
» sexus muliebris decora. pro senatu ac ma-
» gistratibus illi aurum ac gemmas esse: mar-
» garitasque feminis pro lictore datas. Im-
» pium esse jus dolori scribere: lacrymasque
» computare, ultra quas moerere non liceat.
» non esse spoliandum suis honoribus supre-
» mum illum mortalitatis diem, nec imputan-
» dum quo quisque modo novissimos affectus
» satiaret. quid nova libertate profectum, si
» ne quidem arbitrio suo flere liceat? Illud
» vero inhumanum, si ne inter pocula quidem
» et mensas metus abesset. Si ne nuptiae qui-
» dem et laetissimus ille totius vitae dies,
» quem deinde tot labores, tot curae seque-
» rentur, sine sollicitudine transigeretur. Di-
» cebatur contra, civitates non luxu et splen-
» dore vestium, sed honestate morum ornari.
» nec libertatis quicquam referre, quam pre-
» tiose quis incederet, sed quam modeste
» ac temperanter vitam ageret. retundendum
» esse fastum muliebrem. nec matronarum su-
» percilium immodico cultu alendum. si pu-
» dicae sint, satis ornatas esse. earumque

» gemmas ac uniones, bene moratcs liberos, » modeste institutam familiam censeri. defun» ctorum manes non inanibus querelis et am» bitioso luctu, sed piaculis ac eorum quae » fecerint jusserintque memoria laetari. Nul» lam rempublicam sine mensarum parsimonia » diu stetisse. denique nuptiarum laetitiam, » animorum concordia ac conjugali amore » non luxu et apparatu constare. » Haec in utramque partem jactata. Sed non ut lex lata est, ita diu valuit. nam res contumax luxuria est, et quae cum quotidie coerceatur, quotidie vincit. Eodem anno cum Antonius Riparia urbis antistes rebus humanis concessisset, senatus ab Urbano pontifice sacerdotium Joanni Salvucio phocensi obtinuit, viro ea tempestate magna sapientiae fama: cui etiam D. aureos in sumptus diplomatum liberaliter contulit, cum is Minorum ordinem professus solvendo impar esset. Nec ea re solum Urbanus civitati studium suum approbavit. Nam sequenti anno (1), cum Italiae statum novis subinde turbis misceri animadverteret, lucensi libertati metuens, literas ad novum imperatorem dedit, quarum sententia haec erat: intemeratam ac incorruptam Lucensium venerationem erga sum-

(1) Ann. 1381.

mi sacerdotis caesarumque majestatem, dignos eos facere, quos prae caeteris Italiae populis, qui in fide imperii romani sint, caesareus favor respiciat. meritis eorum, precum suarum momentum addere, patrioque affectu orare, ne quam libertati eorum fieri fraudem pateretur: munerisque, cujus pater auctor extiterit, filius conservator dici gloriosum existimet. ea re, quod sibi voluptati sit facturum, magnamque a se gratiam initurum. Eam epistolam, inter Guinisiae familiae monumenta repertam, signis adhuc inviolatis, cum clarissimae virtutis famaeque ex eadem gente Fabius Ravennas antistes post annos fere CCC. vinculo resolveret, una praesens legi: unde moveor ut credam a Francisco Guinisio, acerrimo tunc patriae libertatisque custode, cuique cum pontificio aerario magnae rationes erant, impetratam, neo aliquo casu redditam, inter vetera domus monumenta, decus posteris mansisse. Eodem anno initium factum, aerario, quod tarpejam vocant, pecuniam inferendi ad subitos casus: quae non nisi certis quibusdam magnisque rebus, bello praecipue, moveri posset. Ad XX. millia aureorum condita, quae deinde novis rebus materiam praebuere. ad eam diem, ubi pecunia opus fuisset, privati sinus eruebantur, quos deinde vectigalibus aliisque collationibus

explebant. callidi rerum notavere, ex eo tempore publicorum negociorum curationem civibus cordi magis esse coepisse. Adeo nihil tam sanctum carumque est, cui non a divitiis commendatio accedat. Eodem tempore cum Italiae status bellis, quorum alia jam erant, alia timebantur, nutaret; praeter latronum turmas, consuetum ejus aetatis malum, a quibus quotidie civitates pacem emere cogebantur; ne in rebus subitis tarda communis consilii auxilia expectanda essent, placuit iterum magistratum libertati tuendae, biennio antè abolitum, creari. Sed is quominus invidiae haberet si pluribus communicaretur, XXXVI. e numero civium in triennium lecti, quorum XII. sorte educti, singulis annis eum honorem gererent. Cautum etiam, ne qua fraus publicae utilitati a novorum hominum imperitia fieret, ut IV. ex iis, qui priore anno duodecim viri fuissent, sequenti etiam in consilium adhiberentur. Eodem anno carceres in veteris amphiteatri molibus inaedificati: quod opus ab ingentium lapidum substructionibus saxum appellabant: unde ipsis custodiis inditum nomen quod, quamquam iis alio translatis, adhuc durat. Et cum Joannes Agutus, quem latronum insignem ducem saepe memoravimus, migrare se Lucam, ibique sedem habere velle signifi-

casset, senatus annuos sumptus illi e publico decrevit. Verum mutato consilio, cum ea res exitum non habuisset, proximo anno (1) ad retinendum hominem patres CCCC. aureos constituere, quos in annos singulos ex aerario caperet, quamdiu in Italia esset: ea lege ut is fidem daret se amicum lucensi populo futurum. quae summa illi ad annum 1394 persoluta. Nec iis temporibus ulla res magis reipublicae incommoda accidit, quam in hujusmodi hominum pestes crebrae liberalitates, quibus civitatis vires hauriebantur. Per idem tempus ad componendas lites, quae cum Genuensibus negociatorum causa exortae erant, missi Matthaeus Gilius et Bartholomaeus Michaelius, quem Moccindentem vocabant, civis vetustae nobilitatis ac magni tunc in republica nominis, quique redimendae libertatis ingentem auri summam commodaverat. Cumque oppidani Montis Caroli (oppidum insigne in edito colle ad Nevulam amnem situm) in suspicionem venissent, tamquam res novas molirentur, VIII. e primoribus pueri obsides imperati, sumptuque publico habiti, ac honestis artibus exculti.

(1) Ann. 1382.

Proximo anno (1) semina odiornm paulo ante inter Pistorienses, Lucensesque jacta, in bellum et arma eruptura videbantur: quare jussi Lucenses a senatu Pistorio excedere, ne quid incommodi ex ea re caperent. Creatique Gulielmus Flammius, Parens Porcarius et Nicolaus Dombelingus, qui pacem, aut inducias cum pistoriensi populo componerent. Nec solum ab ea parte turbatum; sed etiam in feroniensi provincia parum quietae res erant. Nam Petrucius quidam cum exulum manu, Pallarosum, praefecturae Castellionensis munitissimam arcem, dolo ceperat, oppidanis ad defectionem sollicitatis. quod ubi patribus nunciatum, missi, qui oppidum arcemque reciperent Joannes Barga et Bartholomaeus Michaelius. Hi cum peditum equitumque expedita manu eo profecti; contractis praeterea propere e proximis praefecturis, qui sub signis erant militibus, oppidum corona cinxere. quod ubi a proditoribus visum, cum se tueri locum frustra intelligerent, occupare gratiam deditione statuunt. Praefecti quamquam id consilium a desperatione ortum satis scirent: tamen quia suspicio suberat eam defectionem

(1) Ann. 1383.

instinctu Florentinorum accidisse, ut omnes illis ad arma ire volentibus praeciderent aditus, speciosis utilia praeferentes, qualemcumque deditionem victoria potiorem habuere. Itaque fide data illos impune eam noxam laturos, oppidum recipiunt. Verum ut temporaria sunt proditorum ingenia, et obstrictus semel perfidia animus, raro ad bonam frugem simpliciter redit; paulo post impetratam veniam, cum Petrucium proditionis consilia iterum agitare compertum esset, assumpto in sceleris conscientiam peregrinorum militum praefecto: comprehensus una cum facinoris socio, admoto ante candenti ferro dire cruciatus, demum laqueo fractis cervicibus violatae reipublicae poenas dedit. Eodem anno ut feroces Feroniensium spiritus minuerentur, cum situ atque operibus confisi crebras inde rebellandi occasiones arriperent, arcem Verruchium in Apennini jugis edito loco extructam dirui placuit. Acrius in Saxenses et ipsos Apennini accolas, saevitum. quippe non munitiones tantum, sed et totum oppidum eversis aedificiis solo aequatum, oppidanique alio traducti. cumque religio, ob eversam una cum caeteris sacram aedem, patrum animis incessisset, alio loco, ne suus caelestibus deesset cultus, nova aedificata. Utque fidei dubiae populis vires

adimebantur, ita firmandae novis operibus urbi cura patrum advigilabat. Quare vallo exciso murisque disjectis, quibus continentes urbi vici claudebantur, tamquam parum validis, firmioris operis munitio coepta. nec moenibus tantum, sed et potentiore muris auro hostes submovebantur. Unde cum Richardus Romisacus, ac Joannes Serra latronum duces in Etruria esse nunciarentur, submissis donis a populatione ager redemptus. Urbano etiam pontifici de liberanda ab armis exterorum Italia agitanti, cum id a senatu postulasset, pro viribus subventum. sed nulla aeque munitione securitati publicae consultum, quam religione ac pietate. Nam cum divorum corpora, quae in civitate condita sunt, humiliore cultu, quam par erat, ad eam diem jacuissent, senatus eorum sepulchris ornandis pecuniam ex aerario attribuit. Insequens annus (1) per initia docuit, non esse superstitiosum etiam minimis rebus caelestium numen inserere. Nam cum Decemviri in palatina turri, vocando senatui, ingentis molis tintinnabulum aereum statui curassent, vix eo coeptum est uti, cum inter primas admoventium manus confractum est.

(1) Ann. 1384.

aere rursum fornacibus imposito, cum aliud conformatum esset, et ipsum nulla satis certa causa inter experimenta vitium duxit. Quod cum tertio accidisset, digna res visa, quae non fieri temere putaretur. motis eo eventu animis, succurrit portionem quandam sacri aeris massae immixtam. itaque visum est experiri, an inde ea labes esset. Aes rude, cuique nulla obstaret religio, focis injectum. cumque conflatum ex eo opus durasset, manifeste patuit, quam religiosa mortalibus esse debeant, quae semel divorum cultui ac ministeriis consecrantur. Nec alias iratos habere superos minus expediebat, cum tot undique periculis civitas premeretur. Nam et pestilentia in dies urbem agrosque funeribus minuebat. et insuper infesto exercitu Cucciatus latronum ductor fines ab ora lunensi ingressus, vastitatem late inferre coeperat. Cujus furori coercendo magis efficax aurum fuit, (summa quippe trium millium ea clades redempta) quam Galeatii Insubrum reguli minae; qui per oratorem ei denunciaverat, ut a Lucensium tamquam sociorum amicorumque clade abstineret. gratiae tamen regulo a senatu actae: missique Bartholomaeus Forteguerra et Nicolaus Serpaganus, qui magnum principem, et paulo post Bernabone aemulo sublato, majorem futurum,

in amore reipublicae confirmarent. Foedus etiam cum Pisanis ac Petro Gambacurta qui eis imperitabat renovatum. Cumque Florentini ad propulsandam Cucciati vim Joanni Obicio exuli lucensi armorum imperium detulissent, patres turbidi ac irati hominis ingenium veriti, ne ulciscendi semel occasionem nactus, socialia arma in perniciem patriae verteret, certis civibus negocium dedere, qui sedulo curarent, ne quid a contumaci et acerbo hoste respublica detrimenti caperet. Ob eam suspicionem arces et castella, quae per id tempus ad XL. praesidiis impositis custodiebantur, novis munitionibus militibusque firmata. et ne qua fraude intercipi possent, interdictum praefectis capitali poena, ne quem sine tessera in arcem reciperent. Erat haec lapis fluviatilis in duas partes dissectus; quae si inter se collatae congruerent (alteram enim habebat praefectus, alteram décemviri retinuerant ei tradendam, quem in arcem admitti vellent) nulla doli suspicio timeri poterat. Sed nihil eo tempore magis incommodum accidit, quam Francisci Guinisii mors, quem praecipuum tranquillitatis libertatisque custodem bona civitatis fortuna dederat. Excessit Nonis junii magno bonorùm luctu: plerisque velut in publica orbitate moerentibus, occulto gau-

dio illorum, qui Guinisiorum potentiam eo ictu perculsam sperabant. Fuit enim in illo viro quicquid ad unius non modo familiae, sed etiam reipublicae felicitatem, virtus et fortuna conferre potest. ingenium excellens bonisque artibus excultum, quantum rudis aetas pati poterat: prompta facundia, parvae etiam sapientiae adjutrix, quae maxima in illo erat. Aderat et veterum historiarum cognitio, ex quibus clarorum virorum facta in patriae utilitatem imitatione transferebat. et ipse futurus inter exempla, facturusque quae legerentur. mores mixtura comitatis graves ut idem nobilitati, idem populo acceptus esset. sed caritate apud vulgus vincebat, cui minor alienae gloriae invidia: cujus amore benigne appellando alios consilio, alios re juvando, sibi reique publicae conciliabat: artes civitatibus, ut in quemque inciderint, perniciosae, aut salutares. Sed caeteras ejus virtutes consilii magnitudo, et in agendis rebus prudentia premebat: ut eum non aliter homines, quam publicam mentem senatusque illius temporis animum intuerentur: ejusque responsa oraculi vim obtinerent. Idem recti justique cultor: libertatis primum auctor, dein custos: cui adversum tyrannidis insidias tuendae non vigiliis, non laboribus, non auro, aut vitae pepercit:

nec solum coram, sed etiam in posterum providentia. perpetuus dominorum hostis; cum solus dominatione dignus esset. quibus egregiis dotibus Guinisium nomen Fabiis Camillisque aequaverat. Nec deerant externa bona, quibus naturae virtutique fastigium fortuna imposuerat. Vetus et clara nobilitas, opes non minus honestae, quam magnae, quibus inter Italiae ditissimos censebatur: plures domi forisque clientelae; vulgata nominis fama, qua per universam Europam insignis erat; principis auctoritas, quanta in libera civitate esse poterat: nimia etiam fortasse, nisi in illo fuisset. quinque praeterea liberi, plerique paternae virtuti similes, quidam fortuna etiam majores: e quibus Lazarius prope, Paulus omnino rerum potitus est. Funus solemni officio celebratum, cui ex S. C. (quod nemini privato contigit) duo ex decemviris interfuere. tota praeterea civitate in exequiarum pompa effusa: non alio vultu animoque quam si publicus parens efferretur. Senatus certe exquisitis verbis, liberatorem civitatis, patrem patriae, virum inclytum aeternumque memorandum appellavit: ejusque mortis casum lugubrem amarumque toti reipublicae censuit. Laudatus est a Joanne civitatis antistite, qui ut honestissimus, ita et in urbe eloquentissimus erat: qui una cum uni-

versis sacrorum hominum ordinibus ducendo funeri interfuit. Conditus est in majorum sepulchro ad D. Luciae aedem: carminibus scriptisque, et tunc recenti, et post longinqua jam beneficiorum memoria celebratus.

Insignis viri mortem, aliorum quoque, quibus clarum in republica nomen, funera sequuta sunt: morbis per urbem agrumque vulgatis, ut magna pars civium incolarumque ea clade absumpta fuerit: puerorum praecipue, ac feminarum, quibus imbecilla corpora, et accipiendae noxae aptiora. Mortuo Francisco, qui Guinisiae domus potentiam aegris oculis aspexerant (1), nihil eo superstite movere ausi, miscere coetus ac inter se consilia inire coeperunt, qua ratione illam in ordinem cogerent. Praecipui hujus rei auctores erant Rapondi, Forteguerrae, Ronghi, Moriconii, Vulpellii, Nutini; quorum cum amplae opes, clara nobilitas, consilium excellens, non tamen par in republica auctoritas erat. tacitique jam pridem indignabantur, cuncta in unam familiam congeri. ejus arbitrio foedera, pacem, odia, amicitias suscipi. nihil privatim, nihil publice, nisi eorum nutu geri. ipsis legationes, ipsis magistratus, aut quibus ipsis vellent, mandari.

(1) Ann. 1385.

omnia eorum clientibus plena, non in plebe, non in senatu, non in milite quicquam ab eorum obnoxiis vacuum. proinde sublato totius gentis capite, instandum periculis, nec spatium praebendum, donec alterius opes convalescant. His inter se jactatis; quoniam praecipua Guinisiorum potentia magistratui XII. custodum libertatis nixa putabatur, plerisque eorum clientibus in eum de industria conjectis, primum omnium curandum censent, ut is abrogaretur. Acta res in senatu magnis contentionibus: multisque ferociter utrinque jactatis, cum res in apertum dissidium eruptura videretur, placuit ut verbis omissis ad rogandum senatusconsultum veniretur: collectisque suffragiis, ea pars vicit quae magistratum abrogandum censebat. quo sublato alius statim creatus est XII. pariter civium, quorum potestas, non ut ante infinita et senatui par, sed arctioribus terminis clausa, et quae ad certas quasdam curationes, belli praecipue, et arcium custodiae tantum pateret. In eum studiose conjecti Bartholomaeus Forteguerra, Petrus Rapondus, et Landus Moriconius, praecipui Guinisiorum aemuli. Quae haud dubie premendis Guinisiis acta, strenue, ut fit, et omnia in majus augendo, fama per finitimas urbes iniquis adeo rumoribus vulgavit: ut expugnatas,

direptasque concursu furentium Guinisiorum aedes, alios ferro obtruncatos, alios in exilium pulsos, eadem, qua jactatum est vanitate, sit creditum: in tantum ut exules, interque eos Joannes Obicius, spem recuperandae dignitatis conceperint: datis de ea re ad amicos clientesque literis: earum turbarum semina, quae mox in apertas discordias; ac prope civile bellum exarsere. Quibus in sua tempora dilatis, caetera hujus anni persequamur. Inter quae cum pestilentia non minus urbem quam agrum cultoribus exhausisset, ad frequentandam regionem in certum tempus immunitas a vectigalibus, praeter quam salis, iis concessa est, qui intra VI. ab urbe lapidem in lucensem agrum domicilii causa migrassent. Per idem tempus Galeatii Insubrum reguli, ac senensis reipublicae oratores in urbem advenere. Regulus submitti sibi hastatos milites adversum latronis Cucciati copias poscebat: Senenses amicitiam redintegrari, uniusque populi exules alterius finibus pelli. utrique impetravere. Nam et Insubro lancceariorum cohors submissa: et cum Senensibus, in eas quas optabant leges, foedus ictum. Eodem anno feciales creati ad foedus cum Florentinis, Pisanis, Bononiensibus, ac Insubrum regulo feriendum Joannes Maulinus, Henricus Sandaeus: pauloque

post ad novum foedus cum iisdem populis, ac praeterea Senensibus ineundum destinatus Thomas Ghivizanus. Exorta jam pridem de finibus controversia inter montanos pistorienses, et praefecturae limensis incolas erat. itaque ei componendae lecti Bartholomaeus Forteguerra, et Michael Guinisius: qui una cum Pistoriensibus rem Juvenci Stuphae civis florentini arbitrio permisere: a quo termini inter utrumque populum constituti. Nec ejusdem praefecturae incolae quietius inter se agebant. Fegatesium oppidum est inter initia Appennini, jugis adhuc humiliore fastigio se se attollentibus, situm ad Feganae amnis fontes: ingenio loci munitum et hiaspidum, qui copiose ibi effodiuntur, partu nobile. Huic finitimi sunt Contronienses, et ipsi jugo montis impositi, ad cujus radices Lima amnis praeterfluit, truttarum piscatu celebris. Inter homines utriusque loci de quibusdam pagis lis erat, quos utrique suos municipali ambitione contendebant. Ei finiendae dati a senatu arbitri, qui causa cognita secundum Contronienses litem dedere. Sed major cura patres angebat, discordiae pacandae, quae tumentibus potentiorum animis in dies gliscebat. Itaque lecti e singulis tribubus seni cives, qui concordiae conciliandae medii ac seque-

stres essent. Attulit nonnullam civilibus dissidiis moram Urbani pontificis adventus, qui sequentis anni (1) exitu Genua profectus, ubi se infra summi sacerdotii majestatem habitum putabat, Mutronem lucensis orae portum X. Kal. januarii appulsus est: ubi a legatis exceptus, terrestri itinere Feroniam progressus ea nocte ibi quievit. sequenti die sub vesperam ad urbem accessit, universa civitate in ejus obsequium ac venerationem effusa. Praesto illi ad portas fuere decemviri, quorum princeps Forteguerra ejusdem cognominis erat, purpureis praetextis insigni cultu velati: una cum Joanne civitatis antistite, quem universi sacerdotum ordines sequebantur, laeta carmina de more canentium. Deductusque per mediam urbem ad basilicam martinianam, ibique adorato caelesti Vultu, qui dimotis velis ei monstratus est, in adjectas pontificum aedes concessit. Purpurati, aliique pontificiae aulae praesules in privatas domos distributi, lautiaque illis e publico praebita. Proxima nocte, cui ob Christi servatoris Natalem toto orbe religio est, quamquam labore viae fatigatus, Urbanus in basilica nocturnis vigiliis

(1) Ann. 1386.

interfuit: sacrisque solemni ritu operatus est: adstantibus circa tribunal decemviris, quorum princeps Forteguerra ea omnia sacrificanti pontifici praestitit, quae praesentes reges augustosque summo sacerdoti praestare mos est. Quo tempore pontifex ut rempublicam honore augeret, quae se illi in tam asperis ipsius rebus adeo fidam praebebat, pileum purpureum ab interiore parte pretiosis pellibus contectum, aquilaque ex margaritis (quod Urbani gentile signum erat) distinctum: ensemque cum argenteo capulo, baltheum purpureum aureis aquilis subinde distinguentibus, ut mos ejus noctis habet, consuetis ante caerimoniis inauguratum, principi Forteguerra dono dedit. quae nunc quoque a nobili puero praetextato, procedenti in publicum principi praeferuntur. Substitit Lucae Urbanus usque ad septembrem sequentis anni (1): ibique regum ac principum oratores, interque eos Graecorum quoque imperatoris excepit. Tanto praeterea, confluentibus undique ad insuetum spectaculum populis, concursu pontificia munia, praecipueque cereorum, aureaeque rosae consecrationem, peregit, ut supra quadraginta

(1) Ann. 1387.

advenarum millia, praeter lucensis urbis agrique incolas, uno tempore in civitate censerentur. tot millium vocibus laeto plausu, vitam ac felicitatem illi acclamantibus, quoties solemni pompa elatis manibus salutare signum conformaret. ex qua hominum frequentia, praeter dignitatem splendoremque civitatis, magna etiam incolis compendia exstitere. Per id tempus, in pontificis honorem aurei nota D. Petri, ac sacri Vultus signati. nec quicquam a senatu populoque omissum, quo cultus ac veneratio erga summi sacerdotii majestatem, tradito ab antiquis Lucensibus more, significaretur. Nec pontifex erga fidam partibus suis civitatem studio concessit: namque, et multos civium beneficiis, ac honore auxit: interque eos praecipue Robertum Guinisium Francisci filium, et Bartholomaeum Forteguerra: quorum primum inter septemviros, quos Notariorum primos appellant: alterum humani divinique juris, ejus temporis consultissimum inter pontificiae aulae patronos retulit. Abeunti V. aureorum millia ex iis, quae ex veteribus tabulis aerario pontificum debebantur soluta: ex reliquis auream crucem, argentumque ad lumina, et adolendas thure oras in basilicae martinianae ministerium tradi jussit: itaque cum pontificiis quaestoribus ac-

quatae rationes. Discedentem ex urbe multitudo ingens prosequuta est: turmaque mille hominum ex civitatis flore collecta in equis cultu habituque insigni ad fines usque publico nomine Urbanum deduxit. Tristior aliquanto quam venerat digressus est, sorore amissa: quae morbo absumpta, celebri funere, cui pontifex cum universa aula interfuit, in aede D. Justinae tumulata est: cum apud sacras ejus loci virgines diversaretur.

Eodem anno civitas data est Petro ac Jacobo Franciottis, qui Carraria, lunensis orae oppido Lucam cum familiis migravere: gens magno deinde civitatis ornamento. claris senatoribus reipublicae, duobus purpuratis romanae aulae datis, ac summorum pontificum Sixti IV, ac Julii II. affinitate illustri, Luchina alterius nepte alterius sorore in Franciottam domum nuptiis traducta: ac patriae in quam adlecta est per prospera et adversa memorabilis. Longe aliter in Matthaeum Franciscbinum patres consuluere; quem reipublicae nomine Massae lunensi praefectum, proditionisque consilia agitantem, cum duo exules detulissent, laqueo necatus, ac membratim concisus perfidiae suae poenas dedit. indices, quod bonorum civium officio functi essent, patriae restituti. Eodem anno auxilia submissa Alberguccio Montecuccolo, po-

puli lucensis socio atque amico, cum ab adversariis premeretur: summaque sex millium et septingentorum aureorum Bernardo Salae, et Averardo Svilerio latronum ducibus persoluta, ut a populatione et injuriis abstinerent. Proximo, ac insequenti anno (1) nihil admodum memorabile gestum. Comitia celebrata, lectique in biennium magistratus: cum ad id temporis designati tantum in annum essent. cumque fortuito incendio aedes D. Joannis conflagrasset, publica liberalitate subventum, templumque magnificentius refectum. Creati praeterea Gulielmus Flammus et Joannes Maulinus, quibus deinde additus est Nicolaus Podius qui foedus ferirent cum Florentinis, et comite Virtutis. ita Joannem Galeatium, deinde Insubriae regulum, appellitabant. datumque eisdem in mandatis, foedera cum quibuscumque regulis aut liberis civitatibus sanciendi, quae lucensis populi amicitiam, ac societatem expeterent. Denique postremi anni octobri mense Urbanus pontifex morbo extinctus est, ob asperitatem morum parum prospera apud posteros fama vitae sanctimonia meruerat. Successor illi datus Bonifacius IX. ad-

(1) Ann. 1388 et 1389.

modum juvenis, qui XXXIV. aetatis annum non excederet.

Per haec aderat annus 1390; civilibus discordiis, quas collectae jam ex longo irarum causae coquebant, erumpendi initium. eo demum exitu, qualem habere solent principum contentiones, ut mutato libertatis statu, unus aliquis rerum potiatur, et victis imperitet. quamquam mala civitatis nostrae lugenti illud occurrit: non tantum peculiare aliquod hujus reipublicae, quam commune totius orbis terrarum fatum extitisse; ut foedis exemplis ea aetas infamis esset. nam summi sacerdotii majestas a binis lacerabatur, quorum qui meliorem habebat causam, loci sanctitatem saevitia maculaverat. Imperium Vvenceslai socordia ac vitiis deformatum, raroque exemplo caesar et augustus fastigio dejectus. Galliae sub puero nutantes, et in ipsa domo regnatrice malis artibus ac veneficiis saevitum. Hispaniae crudelitate regum infames. Pannoniae regis caede, et reginarum custodia, alterius etiam mortem cruentae. nec melior Italiae conditio: in qua Caroli ac Roberti clarissimorum regum soboles, prius flagitiis foedata, dein laqueo interempta. patruus e longo dominatu affinis fraude captus, exin veneno sublatus: aliarum civitatum reguli mutuis bellis attriti,

aut ferro extincti. Florentini civilibus discordiis pessimorum imperio oppressi. Pisae proditione et sanguine dominorum redundantes. ut proinde mirum non sit, si populum quoque lucensem publicus morbus afflaverit. Jam, ut supra memoravi, Guinisiorum opes maligne a nonnullis aspiciebantur: cujus non dubia indicia extiterant post Francisci mortem abrogatus XII. custodibus libertatis magistratus: creatique in ejus locum alii duodecim, in quos de industria conjecti fuerant, qui praecipue Guinisiae gentis gloriae invidebant. ex eo tempore suppressae magis, quam placatae irarum causae, hoc anno recrudere. Nam augusto mense comitiis habitis, nonnulli factionis Rapondorum praeteriti: et Bartholomaeus Forteguerra, inter suffectos designatus est: quos eo tempore etrusco sàle a diminuto honore contumeliose appellabant (1). Ea re Bonagiuntae Schieza, qui inter collegiorum ordinatores fuerat, perjurio rescita, magnum dolorem ingentis animi viro incussit. Itaque vitandae, ut putabat, infamiae, omnia movere in animum induxit, ut ea magistratuum designatio, tamquam vitio facta aboleretur: novaque co-

(1) Spiccinati.

mitia haberentur. Coetu igitur suae factionis hominum coacto, coepit eorum aures querelis implere; irrogatamque sibi injuriam, magnificis verbis, ut erat promptae facundiae, in majus attollere. Enimvero ipsos ab adversariis jam contemptui haberi. initium a se factum, nec ibi statura aemulorum odia. nisi mature obviam iretur, alium super alium a republica amovendum, donec omnia ad unos reciderent. Si praesto sibi essent, omni ope adnisurum, ut comitia tamquam vitiosa rescinderentur. ita suae in praesens, ita ipsorum dignitati in futurum consuli posse, si inerti patientia audaciam inimicis non fecissent. Aderant in eo consilio Petrus Rapondus, Landus Moriconius, Joannes Maulinus, Gulielmus Flammus, Matthaeus Nutinus, Orlandinus Vulpellius: cumque iis Genovardi, Mercati, Schiattae, Domaschi, Dombellinghi; ipsiusque Bartholomaei germanus frater Forteguerra, paulo ante decemvirorum princeps: fatorum suorum et impendentis ruinae ignari, quam ipsi manibus suis urgerent. Haud magni negotii fuit sua sponte motis persuadere. itaque omnium ea sententia fuit, illam designationem rescindi oportere; maturatoque opus esse, ne comitiorum auctoritas mora valesceret. Animis ita tumentibus, plenisque irarum.

septembres Calendae adfuere: novumque collegium Simone Alberto principe magistratum iniit. Coeptum itaque est in senatu per factionem Forteguerrarum de abrogandis comitiis: multaque in Guinisiam familiam, et Nicolaum Serpaganum jactata, quo principe comitia habita fuerant: contradicentibus, quibus eam designationem stare intererat. nec tamen praeter atrocia verba minasque ultra processum. sed cum Forteguerrae satis cernerent, si suffragiis sententiisque certaretur, sine dubio alterius partis homines superiores futuros, ad vim et arma spectare coeperunt. Itaque Bartholomaeus Forteguerra habito suorum consilio, omnes sacramento adegit, numquam quieturos, donec Guinisiam gentem quacumque arte possent, oppressissent. eoque tamquam foedere inito, singuli conjuratorum, tum ex urbe, tum ex agro clientum manum colligere instituunt, ut ad vim inferendam pares essent. Nec a tam praecipiti consilio, accensos semel ulciscendi cupidine animos pestilentia avertebat, cum civitatem agrumque, aliorum mortibus, aliorum fuga, in dies ad solitudinem vastitatemque redigeret. quo tempore manifeste in tot malorum auctorem caelestes irae patuere. Bonagiunta Schieza e vivis sublato, qui rupto sacramento, rempublicam iis, quae

postea sequutae sunt, cladibus involvit. Interea a novis decemviris inito magistratu, quorum princeps erat Landus Sartorius, ut crescenti in dies malo obviam iretur, (quippe jam Forteguerrae dimidium ferme urbis agrique in suas partes traxerant) senatus decrevit, ut nova comitia haberentur: et designatione in triennium facta, aequatis honoribus, querelarum materia tolleretur. ea tamen lege, ut his comitiis lectos subsortiri fas non esset, antequam veterum comitiorum collegia suum explessent orbem. quae non per aliquam fraudem, ut nonnulli interpretabantur, sed bono animo facta, ut animorum contentio ad seditionem euntium comprimeretur; leniendo ad tempus morbo, non sanando valuere. qui sequentis anni (1) aprili mense acrius invasit. Convenerant patres in curiam per sanctioris hebdomadae dies, quo tempore, audiendis reorum exulumque supplicibus libellis: solvendoque e carceribus certo nexorum numero, senatum dare mos est. et quamquam non satis pacati ex praeteritis motibus animi erant; tamen ea die convenerant, ut de nullo alio negocio, quam de nexis referretur. Jam in tri-

(1) Ann. 1391.

bunali ad subsellia sua decemviri consederant, expectabaturque ut princeps (erat is Gerardus Burlamacchus) secundum constitutum de nexis referret. Verum is silentio rem quasi exconsulto trahebat: apparebatque decemviros inter se dissidere: aliis, quantum exaudiri poterat, rem ita fore affirmantibus, aliis contra negantibus. neque tamen certi quicquam conjici poterat. cumque patres admiratione suspensi exitum rei expectarent, subitus tumultus ad curiae fores auditus. Aderat Bartholomaeus Forteguerra cum clientium manu, admittique in curiam postulabat, cumque ab iis qui ad fores excubabant prohiberetur, isque cum suis contra tenderet; tumultus exortus erat, qui perlatus in curiam, metu primum, deinde indignatione animos movit. quippe audita eorum civium temeritate, patres undique fremere, sublatisque vocibus flagitare, ut de illorum poena referretur. At princeps ea labe non intactus, unde post cum caeteris seditionis auctoribus in exilium pulsus, lenibus verbis patrum furorem mitigare adorsus, affirmat, cum tot honesti ac nobiles viri adessent, in curiam introducendos audiendosque; si quid peccassent, semper de eorum poena arbitrium penes senatum fore: si quid utiliter consulerent, usui esse non posse nisi auditis. Sed

cum patres in sententia perstarent, adjecit, quando pro potestate summi magistratus ei liceret certum civium numerum extra ordinem in curiam vocare, se illa usurum vocaturumque. quod idem Joanne Cattano, apud quem ea die decemvirale imperium erat, affirmante, invitis patribus, Forteguerra cum suis in curiam admissus est. Ubi plura de iniquitate comitiorum questus, quibus multi praeclari cives et patriae amantes praetcriti, alii ignominia notati essent, ea plane abolenda censebat. adjecit de veteribus militibus, qui in praesidio urbis erant, exauctorandis, novisque conscribendis: quae non obscure premendis Guinisiis jactata, quod veteres milites eorum clientelae innexi erant; quorum beneficio eum ordinem accepissent. In eamdem sententiam loquuti Landus Moriconius, Orlandinus Vulpellius, Joannes Rapondus, caeterique qui una cum Forteguerra in senatum admissi fuerant: tendentibus contra alterius partis senatoribus, tanta animorum contentione, ut res jam ab orationibus ad manus gladiosque haud dubie spectaret. nonnullique, non animis tantum, sed etiam corporibus ad pugnam parati, rejectis amiculis, vim illaturi repulsurique in gradu praeliantium stabant. cumque Dinus Guinisius verba facturus assurrexisset, orsusque ab admiratione esset,

quod contra constitutum de alia re, quam de nexis referretur, obstrepentium vocibus dicere prohibitus assedit. adeoque animorum ardor processit, ut Joannes Boccansochius, Luisius Tadolinius, et Joannes Bernardinius, qui ex decemviris Guinisiorum nomini studebant, clam caeteris collegis submiserint, qui denunciarent Nicolao Miniatensi praesidiariorum militum praefecto, ut arma capere suos juberet. quod deinde crimini illi datum, ob idque ordinem amisit. Sed paulatim remittentibus studiis cum e patribus quidam dixisset, aequum sibi videri, quando alterius factionis homines auditi essent, ut totidem Guinisiorum partis in curiam vocarentur; vel si id minime placeret, qui introducti erant excedere cogerentur, nec de alia re, quam de nexis referretur, in eam sententiam discessum. Quare Forteguerra cum suis curia excedere jussus, nec ea die nisi de nexis relatum. Sed atrocioribus in dies odiis, majus aliquod malum timebatur, Rapondis praecipue adversus Guinisios accensis, et veteres causas retractantibus. coitionesque utrinque fiebant; et asseclarum clientiumque armati greges comparabantur. Satisque jam ad vim inferendam propulsandamque instructi, Augusto mense cum suis quisque satellitibus per urbem discurrit, eo consilio, ut ubi primum

sibi occurrerent eo loco manus consererentur. Sed itinerum errore aliis alios fallentibus; nec dum fatalis horae articulo adducto, dilata in aliud tempus clades est. interim tamen in praesidiis stabant, jure ac legibus inter arma silentibus: aut si contra tenderent, irrito conatu vires suas expertis. quippe cum Nicolaum Dombellingum ob linguae intemperantiam urbanus praetor in vincula duci jussisset; Rapondis accurrentibus is e manu lictorum vi ereptus est. paria Guinisiis audentibus, quoties in eorum asseclas magistratuum jussu manus injicerentur: itaque gliscente in dies licentia, perinde factorum dictorumque impunitas erat. Nec domesticis tantum malis civitas laborabat; sed velut cumulus externa quoque calamitas accessit. exarserat bellum per id tempus inter Florentinos insubriaeque regulum, cujus clades Lucenses quoque velut e propinquo afflavit. quippe Insubres castris ad Auserem positis, in amici populi agro, tamquam in hostico grassabantur. Nam et pecora abacta, direptae domus, vastati agri: nec praeter incendia captivosque, quicquam omissum, quod ab hostibus metui posset. cumque agrestes se contra milites defenderent, caedes utrinque fiebant: torpente ad ea patrum consilio; cum acrior morbi vis in reipublicae visceri-

bus haerens, externorum malorum sensum abstulisset.

Aliqua tamen salutis spes sequentis anni initio affulsit (1), et respirare civitas visa est. convalueratque profecto, nisi nimis alte demissum, ac putre jam vulnus in Bartholomaei Forteguerrae pectore, rursus animos contagio infecisset. Inierant kal. Januariis magistratum decemviri, Lando Moriconio Forteguerrarum factionis principe. qui, sive taedio turbarum fessus, sive, ut erat ingentis spiritus, gloriam pacatae civitatis quaerens, omni studio in id incubuit, ut civiles discordiae finirentur. Erat in civitate Stephanus Augustinensis Arretii in Etruria ortus, juxta pius et facundia promptus. hunc pacis sequestrem adhibere placuit. Itaque indicta concione, cum multa diserte de pace ac concordia disseruisset, is animorum motus extitit, ut plerique in lacrymas complexusque mutuos ruerent. utque pax arctiore vinculo sanciretur, singuli ad effigiem pendentis e cruce Servatoris, quam is concionabundus manu praeferebat, sacramento adacti, sincere se, ac ex animo iras ponere discordiasque finire juravere: si contra faxint, se

(1) An. 1392.

suosque diris ac devotionibus consecrare. quo facto tanta repente laetitia omnium mentes incessit, ut se non aliter quam ab inferis revocatos, mutua gratulatione aspicerent; illum diem publicae securitatis libertatisque natalem, Moriconium collegasque veros patriae parentes praedicabant. sed breve gaudium id extitit: laxatusque morbus ideo tantum ad tempus visus est, ut acrius saeviret. Nam, ut ante dixi, in Forteguerrae pectore plaga nimis alta et insanabilis erat: nec quiescere nisi ultione aeger animus poterat. Itaque post sancitam pacem rursus ad vetera odia revolutus, coepit obductam pene cicatricem rescindere, et veteres causas retractare. Igitur tria postulata in medium protulit, quibus et quies publica turbabatur; et Guinisii, quos omnino tollendos susceperat, obterebantur. Primum erat, ut collegium, cujus princeps erat Lazarius Guinisius Francisci filius, designatum in comitiis anni 1390, Augusto mense celebratis, omitteretur: in cujus locum, e novis comitiis ejusdem anni Decembri mense habitis, aliud subsortiri placebat. aut si vetera comitia valere senatus vellet, decem cives collegae custodesque iis decemviris darentur, qui in palatio habitarent, decemvirorumque munia obirent: perindeque esset, ac si collegium ex XX. con-

staret. Secundo loco postulabat, ut magistratus, quem militari vocabulo ductorum appellant, cui una cum decemviris milites legere, ac exauctorare jus est, minueretur; proque senis terni legerentur. Ac denique tertia postulatio id agebat, ut omnes praefecti militesque, qui in praesidio urbis hactenus fuerant, exauctorarentur; eorumque loco in posterum urbana juventus sub vexillis regionum conscripta urbi praesideret. Nemini dubium erat seditiosis hisce postulatis iterum statum civitatis convelli: nec ea esse, quae nulla adjectione aut detractione facta, aequitate salva concedi possent. Nam et aequum erat ejus collegii honorem tueri: cum praecipue triumvirorum sententia, quorum unus Forteguerra Bartholomaei frater extiterat, eorum comitiorum designationem stare senatus e republica censuisset. quid enim aliud esse, si S. C. Forteguerrae arbitrio fieret, quam vexillum civilium armorum iterum substollere; gladiosque in manibus iratorum civium ponere, ut quicquid ex eo consilio sequatur, censeri possit non immeritis evenisse? Nec aequior altera postulatio ullis partibus erat. quippe si ductores e senis tres crearentur, alteram factionem plus posse oportebat: id quod labefactandae concordiae initium erat: ac denique sine ulla causa tot praefectos, tot

milites bene de republica meritos exauctorare, iniquum. nec minus periculosum, ea injuria hostes sibi ex amicis tantum numerum armatorum facere. Eorum vero munia ad cives transferre, nihil aliud esse quam urbanam juventutem a bonis artibus avellere, ac otio et inertiae, militaribus vitiis assuefacere. Quare primo ex postulatis in totum rejecto, in caeteris ea via inibatur, ut Forteguerra nec tota auferret, nec tota remitteret. Nam et ductores pro senis quaternos creari tolerabatur: de militibus vero, ubi legitimum tempus in quod conducti erant exisset, potestas collegio ductoribusque permittebatur, ut statuerent quod e republica judicassent. Sed arma quaerenti nullis conditionibus pax aequa videbatur. Itaque revocatae veteres irae, reditumque ad ingenium. Nam ex eo tempore magis quam antea, arma asseclasque colligere, suasque partes firmare utrinque acrius coeptum. tantaque discordiae labes omnia invaserat, ut nulla reipublicae pars ab ea contagione immunis esset: scissis in studia non senatu modo ac principibus civitatis plebeque, sed ipsis etiam familiis; cum intra unam domum duae factiones essent: parentibus ac liberis; nec minus inter se fratribus; sed et feminis ipsis puerisque veluti fatali rabie dissidentibus. Nec ab eo fu-

rore, aut concionum facundia, aut veterum exemplis, aut etiam injecta jusjurandi religione, indictisque avertendae coelestium irae supplicationibus, revocari potuere: unde cunctis velut in justitio metus, mortua legum auctoritate: nec aliter trepidis, quam si ruina ac direptio urbis immineret. ut proinde quisque res suas in abdito poneret, furorique diripientium subtraheret: aliaque fierent, quae in captis urbibus vastitatis metu solent. Hic animorum habitus erat, cum Majae kalendae adfuere; quibus Forteguerra Bartholomaei frater magistratum iniit, sibi ultimum, reipublicae prope supremum, is ratus una cum fratre in principatu effecturum, quod privatus nequisset, vix dum inito magistratu eo curas omnes intendit, ut destinata exequeretur. Specioso libertatis obtentu, cujus tutelam semper conatibus suis praetexere soliti fuerunt, qui maxime oppressere. Igitur nonis Maji consilium majus, quod colloquium appellant indixit: ubi a Bartolomaeo eadem de numero ductorum, deque exauctorandis militibus jactata, in quam sententiam ejusdem factionis capita, Jacobus Domaschus, Petrus Rapondus, et Landus Moriconius consensere. postremus etiam, delinienđis utilitatis spe civium animis, adjecit; dimissis externis militibus, qui aerario graves

erant, subrogatisque in eorum locum popularibus, posse eam pecuniam, levatis tributis, in populi beneficium converti. Sed cum ab iis, qui ei rationi tamquam perniciosae non assentiebant, contra tenderetur, eadem quae alias in medium afferendo; res magnis altercationibus acta: nec tamen pervinci potuit, ut quicquam de veteri ratione mutaretur. itaque irritatis magis quam antea infensisque animis, et utrinque ad tuendum propositum obstinatis, consilium dimissum. Crescente igitur seditionis mole, majores armorum quam antea apparatus fiebant: domusque, hinc Rapondorum, inde Guinisiorum clientibus tam ex urbe quam ex agro, ad omne obsequium paratis complebantur. Nec tamen deerant, qui pacis sequestres, huc illuc commeando cursarent: aliosque suadendo, alios rogando, ne prava contentione patriam secum perditum irent, incendium extinguere niterentur. Sed inanis eorum opera apud infensos erat: fataque periturae civitatis, salubribus consiliis aures animosque obstruebant. Igitur nonnullis diebus ancipiti expectatione consumptis, IV. Id. Maji, fatalis urbi dies, et ad posteros pessimo facinore memorabilis illuxit. Summo mane, ut hujus illiusque quisque factionis erat, ad suos cum armis confluxere: circaque secundam diei

horam hinc e Rapondorum, inde e Guinisiorum aedibus acies moverunt: eo consilio ut prior utraque forum occuparet. Sed cum Guinisii, quibus praeter Moriconiorum aedes eundum erat, infestum iter reperissent: quippe ex alto undique tela ac saxa in subeuntes ingerebantur, mutatis itineribus, per porticum mercatorum viamque obscuram ad turrim Velii, quae Bernardorum nunc appellatur, Rapondis, qui ex altera parte in forum citato agmine tendebant, occurrere. Ibi pugnae initium factum, ut inter iratos infensosque ex longinquo, sevae et atrocis. quippe velut amentes, pilis, gladiis, ut quemque in ea trepidatione furor armaverat, alteri in alteros nullo discrimine incurrebant: tumultuque, et clamoribus, non minus quam caede, ac sanguine omnia miscebantur. plures tamen ex utraque parte vulnerati quam caesi: diuque pari seu rabie, seu virtute pugnatum, donec victoria ad Guinisios inclinavit. cecidere inter promptissimos e Rapondorum parte Jacobus Domaschus et Nicolaus Dombellingus; vir antiquae nobilitatis, sed factiosus ac turbidus, odiorumque impotenti lingua per eas turbas ventilator: quorum caede alii consternati fugam arripuere. quare Guinisiorum manus, uno aut altero obscuri nominis amisso, ea pugna supe-

rior, et confluente multitudine, ut ad victores, aucta, jam obsistente nullo in forum pervenit.

Dum haec ad turrim Velii geruntur, Lazarius Guinisius cum altera manu diversis itineribus secus Antelminellorum aedes per Tabernam maximam in forum venit, ubi praetor urbanus, una cum praesidio militum in armis erat; e palatio quoque duo ex decemviris equo vecti eo pervenerant, suas quisque partes ab armis prohibituri: sed sero, et eductis jam gladiis, civilique sanguine madentibus. Ibi suis in consortium receptis, per confertam multitudinem ad palatium ire pergit, ut populi vexillo sublato civitatem ad arma vocaret. Sed cum omnes palatii aditus occlusos, portasque seris vectibusque firmatas reperisset: audacissimus quisque faces aggerere, alii insertis securibus claustra laxare ac perfringere dolabris caepere. Sed qui intus erant, majoris mali metu, fores pandentibus, quamquam alii, vim parandam, dandumque e turri palatina signum populo capiendi arma clamitarent, statim furentibus palatium oppletum, vexillumque populi traditum, et ad Lazarium allatum. Nec intra eos limites iratorum civium vaesania stetit. nam cum fuga decemvirorum, eorumque qui in auxilium accurrerant, vasta omnia ac deserta essent: aliis aut e fenestris clam di-

lapsis, inter quos fuere Galvanus Trenta et Bettus Stiatta; aut in latebras se se occultantibus, ad pessimum facinus animum adjecere. Princeps Forteguerra ad eum tumultum metu amens intra cubiculum se abdiderat. cujus foribus per vim effractis, Guinisio, qui atrocis facti invidiam in se redituram videbat, frustra reclamante, Andreas Stornellus et Andreas Florentinus, quem in scena canere solitum a ludicris artibus ad virilia scelera civilis discordia transtulerat; pavitantem, ac improviso malo attonitum, nulla majestatis publicae reverentia, confossum vulneribus, dirum etiam furentibus spectaculum, semianimem et cruore oppletum e fenestris dejiciunt: cadaver quorumdam misericordia, in proximam D. Romani aedem illatum, ac ludibriis subtractum. Guinisius palatio potitus, ne in eo furore ad caedes rapinasque, et urbis direptionem procederetur, ad componendum rerum statum versus, conquiri decemviros, accirique ductorum magistratum jubet. quibus aegre collectis, nonnulla pro tempore praefatus, excusatisque quae discordiae civilis impetus se invito egisset, recipere animum, et reipublicae constituendae incumbere hortatur. » Se inimicorum
» acerbitate eo necessitatis adactum; quorum
» quando, ut causa, ita pejor fortuna exti-

» tisset; cunctis palam facturum, non domi-
» nandi libidine, ut falso ab adversariis jacta-
» tum, sed publicae libertatis causa, cujus
» auctor parens suus fuisset, arma sumpsisse.
» proinde, cum victoria cuncta arbitrii sui
» fecisset, se illa non nisi in salutem reipu-
» blicae, eorumque qui vitam ac sanguinem
» ipsius expetissent, usurum.» Nec ultra moratus, ad Rapondos Moriconiosque et alios ejusdem factionis principes mittit, qui denunciet, si salvi esse velint, arma suos ponere jubeant; seque in aedes Guinisiorum recipiant: eductis semel gladiis, in potestate sua non esse furenti populo modum statuere: si in sinum suum confugiant, incolumes futuros. His mandatis perferendis adhibitus est Stephanus Podius; quibus auditis, ne ultro perniciem sibi accerserent, concessere in domum Michaelis Guinisii Landus Moriconius, Petrus et Joannes Rapondi, Orlandinus et Duccius Vulpellii, ac Jofredus Cenamus; quod salutare illis ad effugium fuit: Guinisiis longe majus sive ad gloriam, sive ad ultionem, quam si extinctos trucidatosque vidissent. Et certe etiam inimicorum aestimatione in aperto est, quicquid sceleris in eo tumultu extiterit, alieno furori imputandum: clementiae ac moderationis laudem penes Guinisios fuisse. In eo consilio

omnes praefecti militesque iterum in sex menses in senatus populique lucensis verba sacramento adacti: perque insigniora urbis loca stationes et praesidia imposita ad coercendum furentium impetum, ne ultra in caedes rapinasque iretur. cum praesertim ex agro ac municipiis armatorum manus ad portas adessent: quorum pars in civitatem admissa, alii tendere extra jussi. omnibus tamen gratiae actae quod in patriae auxilium venissent; commeatusque liberaliter praebiti. neque sic tamen caveri omnino potuit, quin aliqua contra victoris voluntatem mali exempli fierent. Nam eodem die per Andream Stornellum, cujus maxime furor in eo tumultu insignis extitit, Contes Puccinus aliique nonnulli interfecti, quos recensere longum esset: illud certe ad odiorum acerbitatem ostendendam memoratu dignum, quod duobus diversae factionis accidit. Controniensis quidam in auxilium Rapondis in urbem venerat. Is ruina partium suarum territus, cum in domum Massaei Comi confugisset, adversariis supervenientibus, alterius effugii desperatione, in summas tegulas evasit. quo cum inimicus sequutus esset, ille conversus complexusque medium, tandiu luctatus volutatusque est, donec uterque invicem innexi prolaxique ex alto, in mutua rabie ex-

tinguerentur. Dimisso consilio Guinisius e palatio in forum, ac inde per urbem discurrit, manu vexillum populi praeferens, universa multitudine faustis acclamationibus prosequente, quibus, illo praeeunte, libertati aeternitatem ominabantur. Per haec exacto jam die, singuli ad quietem, ac curanda corpora in suas aedes dilapsi. Postero die per decemviros coacto senatu, relatum est de Bartholomaeo Forteguerra, qui tot malorum, quibus civitas laborabat unicus auctor, in communi suorum pernicie immunis evaserat. Itaque omnium sententiis, tamquam seditiosus ac pestilens civis, capitis damnatus: praetorique mandatum, ut conquisitum captumque capitali poena afficeret. Is, cum diu vestigando errasset, tandem prope basilicam D. Frigdiani inventum extractumque una cum Nicolao Sbarra sororis filio, ad supplicium trahebat. Sed cum in itinere supervenisset Stornellus, ne quid sceleris audaciaeque omitteret, ex ejus manibus ereptum, ad angulum porticus, quae in foro est, inauditum ac indefensum securi percussit. adeo in civili furore perditissimus quisque etiam potentissimus est. Hunc exitum habuit vir, non civitatis modo, sed aetatis suae clarissimus: divini humanique juris notitia excellens: civis caetera egregius, et tam acerbo fato indignus,

nisi caeteras laudes ambitione, quam in alio damnabat, nimioque ultionis ardore corrupisset. quodque malis ejus supremum accessit, pejus etiam vindicatus quam occisus. quod quemadmodum contigerit in tempore memorabo. Atque ita duobus funeribus, aliisque quae mox supervenere calamitatibus, clara ac potens Forteguerrarum domus afflicta, veterem splendorem amisit. Eodem sceleris impetu Stornellus, nulla Guinisiorum conscientia, nedum imperio, Jacobum et Franciscum Serangelos eodem parente genitos, e domo illustriss. viri Joannis Mingogii per vim extractos, eodem quo Forteguerram loco decollavit. Nicolaus Sbarra Lazarii beneficio morti subtractus est: fortuna eum in atrocius scelus poenamque reservante. Neque his modum furori suo Stornellus Cantorque fecere: nam externorum sicariorum manu secum assumpta, XVII. kal. Junii iterum seditionem integravere: tumultu circa forum excitato. qui in palatium perlatus quo nonnulli cives cum Guinisiis convenerant, ut de republica consultarent, animos improviso metu perculit. Itaque ad eum sedandum missi Petrus Ugolinus et Joannes Sercambius, qui haec memoriae prodidit, e palatio in forum advolavere. quorum Sercambius sumptis armis, cum valida manu ad palatii cu-

stodiam regressus, principes seditionis ibi offendit, qui minaci clamore incensuros se publicas aedes denunciabant, nisi designatio magistratuum proximis comitiis facta, flammis aboleretur. Lazariusque Guinisius, equestri honore augeretur, qui maximus iis temporibus habebatur. quibus constanti responso, sed magis armatorum adventu repulsis, praefecti militum acciti, multumque a decemviris castigati, quod eorum segnitie civitas iterum in discrimen adducta in ultimo metu esset. quibus veniam deprecantibus, infamiae abolendae flagitarunt, permitti sibi, ut de Stornello et Cantore temerariis scelestisque hominibus ultionem caperent: noxiorum sanguine socordiae suae maculam deleturos. impetravere ea conditione, nisi illi decemviris se sisterent, factique veniam deprecarentur. Itaque tertia jam noctis hora Stornellus et Cantor crimen suum coram decemviris fassi, quia sine novarum turbarum metu aliter fieri non poterat, dimissi magis quam absoluti: quamquam novissima meriti, et pro magnitudine scelerum superis homibusque juxta invisi. Egregia eo die Joannis Sercambi opera respublica usa est: qui ad multam noctem per urbem cum armatis discurrens, ne caedes rapinaeque, aut incendia fierent in causa extitit.

Postero die, qui fuit XVI. kal. Junii, ut ruenti reipublicae tandem subveniretur, per Martinum Arnulphinum, qui in demortui principis locum successerat, patribus in curiam vocatis, primum omnium solvi legibus postulavit, quibus impediebatur quominus quaedam referret, quae ad summam reipublicae pertinere eo tempore arbitrabatur: quo impetrato, animisque cunctorum expectatione suspensis, in hunc modum dicere exorsus est. » Si ut » juris legumque sanctitas invicta est et ae- » terna, tam firmae essent bonae mortalium » voluntates, optimam, P. C. quae nunc pau- » corum culpa pene nulla est, rempublicam » haberemus. Quae enim unquam aut magna » aut parva civitas tam sancte constituta, » quam majores nostri Lucensem esse volue- » runt? quorum instituta moresque donec va- » luere, non modo finitimis Etruriae populis, » sed etiam Italiae, ac toti terrarum orbi » miraculo fuimus. Sed, dolenter non minus » quam vere dicam, immutatis, ab hinc fere » biennium, ambitione ac invidia animis, » concordia civium soluta, miserationi esse » caepimus; si modo calamitas nostra, stul- » titiae opinione, apud quemquam misericor- » diam inveniet. reputantibus enim, ex acer- » bissima servitute ac tyrannide nuper ere-

» ptos, sua voluntate iterum semet in tam » saeva et atrocia praecipitasse; necesse est, » ut male sani potius quam miseri videamur. » Sed praeterita doleri magis quam emendari » possunt: nec ego publica vulnera retractan- » do, moerorem meum vestrumque augebo, » P. C. Utinam tot egregii cives tam reipublicae » amantes extitissent, quam videri volebant! » nec illi latronum more, foedo indignoque » exitu vitam finissent; nec nos necessitate » compulsi, pejora pene malis remedia quae- » sissemus. Sed quod in civili discordia op- » tandum est, non omnino irata civitati no- » strae Numina, indulsere, ut victoria ad » optimos perveniret: quibus salvis salva res- » publica est, quae cum illis sine dubio con- » cidisset. quorum ea moderatio fuit, ut quae » violente ac crudeliter acta sunt, fortunae; » quae temperate ac clementer, eorum vir- » tuti adscribenda esse videantur. Ut igitur » in posterum rempublicam tueri possimus, » quam illi e furentum ac seditiosorum ma- » nibus vindicarunt, auxilia extra ordinem » quaerenda sunt, P. C. Itaque mea senten- » tia VIII. ex singulis tribubus legendos cen- » seo, qui reipublicae constituendae, praesen- » tibusque malis curandis, ea potestate et » auctoritate polleant, quae penes universum

» senatum ac populum est. Nam tardiora » semper remedia sunt quae a pluribus ex» pectantur: et publica salus in eo sita est, » ut statim salutares manus admoveat. neque » ullum libertati periculum ex infinita hac » paucorum hominum potestate timendum est: » cum et in sex tantum menses creari pos» sint; et e tot civium numero facultas sit, » optimum quemque et reipublicae amantis» simum eligendi. » Haec apud senatum princeps: valuitque ejus auctoritas. Itaque XXIV. viri in sex menses creati, qui una cum decemviris reipublicae constituendae ea potestate essent, qua senatus populusque est. conjecti in eum numerum principes civitatis: nec aegre Guinisiorum favor obtinuit, ut plerique eorum partis legerentur. et ita pacis, salutisque publicae intererat: ne paribus adversae factionis momentis iterum per discordias turbaretur. Illustrium virorum nomina, bona legentium venia, posteritati non subtraham. Fuere e tribu Pauliniana Bartholomaeus Buzolinus, Turellinus Bonuccius, Gherardus Serbianconus, Andreas a Porticu, Joannes de Podio, Joannes Galganettus, Joannes Sercambius et Joannes Domaschus. E tribu D. Salvatoris lecti Thomas Ghivizanus, Dominicus Lupardus, Nicolaus Honestus, Joannes Malizardus, Matthaeus Macta-

fellonus, Matthaeus Cattanus, Franciscus Ursellius, Nicolaus Sbarra. E tribu Martiniana vero Dinus Guinisius, Petrus Ugolinus, Nicolaus Serpaganus, Lazarius Guinisius Francisci filius, Ciuchinus Advocatus, Joannes Testa, Bartholomaeus Balbanus, Joannes Bernardinius: quorum octo tantum familiae manent: caeterarum nomen a stirpe interiit. Senatusconsultum quoque factum, ut omnium praeteritorum memoria aboleretur: neve quicquid ad eam diem, per proximas turbas, caedis aut rapinae commissum esset, fraudi cuiquam sive civi sive extero foret. Jus tamen XXIV. viris reipublicae constituendae servatum, uti in quos e republica censerent, pro potestate animadverterent. Et quoniam sex civium, qui adhuc superessent, potissimum opera, civitas in ultimum discrimen adducta esset, placuit senatui, non sine magno clementiae temperamento in eos ita constituere, ut sanguini parcendo, in diversas urbes relegarentur. Itaque relegati Joannes Maulinus Romam; Gherardus Burlamaccus Venetias. Matthaeo Nutino permissum optare locum extra Tusciam, dum tamen inde non vagaretur. Nicolaus Genovardus Tolosa, Acconcius Thomae camajorensis filius Perusio clausi. Joannes Rapondus Avenionem, aut in ulteriorem plagam ad occi-

dentem ire jussus. in quae loca intra duos menses migrarent: sique eorum fines exirent, capitalis supplicii rei essent, bona publicarentur: interim ultra octo dies intra quadragesimum lapidem consistere non liceret. His per senatum actis, caeteris patrum discedentibus, XXIV. viri reipublicae constituendae una cum collegio decemvirorum, ad ea decernenda, quae tempori opportuna viderentur, in curia mansere. Prima novae potestatis acta haec fuere. Carolo Rongo praefectura Massae Lunensis, tamquam eo munere male functus esset, adempta: subrogatusque ad tempus in ejus locum Nicolaus Quartigianus. Item Nicolaus Maulinus eques castellionensi praefectura motus, quod per novissimum tumultum plura oblocutus, non pauciora temere fecisset: itaque ut suspectum, loco adnovandas res opportuno, removere placuit, praefecturamque lunensem obtinere. Praesidio quoque civitatis militem conduci ad decem ballistariorum cohortes visum: creari que binos, aut ternos praefectos (Conestabulos appellabant.) aut exteros, aut e municipiis ortos: inter quos tamquam primus rei bellicae dux adscitus Fridericus Calandrinus sergianensis: unde familiae Calandrinae origo, quae deinde splendore opum honorumque Lucae floruit. Renovandae quo-

que cum Pisanis amicitiae, foederique sanciendo lecti Thomas Ghivizanus et Lazarius Guinisius. Et ut omnia eorum decreta, quamquam non uno tempore facta, in unum conferam: quoniam non deerant, qui ei potestati obloquerentur, poenam temeritati verborum D. aureos statuere: capitis vero, et publicationis bonorum iis qui seditionem ac tumultum in civitate movissent, aut in palatium cum armis concurrissent. Praefectum etiam ad coercenda delicta externum creari in annum placuit, qui dux populi appellaretur, eique stipendium MCDL. aurei forent. Pariter ad subitos casus decretum, ut XII. cives, sorte per tribus ducti in palatio cum decemviris perpetuo adessent, praefectique palatii dicerentur. Jurisconsultos medicosque decemviratum capere in posterum vetuere. quo magistratu exclusi etiam Obicii, Quartigiani, Salamoncelli et Antelminelli: cautumque ne iis, qui a senatu relegati fuerant eorumque posteris; nec non Orlandino Vulpellio, Petro Rapondo, Betto Stiatta, Jacobo Rongo, Lando Moriconio, eorumque posteris aditus unquam ad honores esset. Contra vero Podiorum familia, quae olim ob insitam gentis superbiam a republica amota fuerat, honoribus restituta, ob egregiam fidem navatamque proximo tumultu operam. Exules

quoque ad CXXXVI. reducti. Sed praecipua cura in Forteguerras fratres incubuit. quos tamquam seditiosos et turbidos, reos majestatis, ac jure caesos videri pronunciarunt. addita etiam universae Forteguerrarum stirpi nota: eique tamquam olim reipublicae perniciosae, et quae novissime illi prope interitum attulisset, perpetuo honoribus interdictum. Testamentum Forteguerrae principis caetera rescissum, in iis quae legaverat mansit. Visumque indignum, pravitatem hominis amicis, aut religioni fraudi esse. Legata ad quinadena aureorum millia fuisse constat; quorum dena ad religionem spectabant. ut eo magis miserandum sit, virum ea excelsi animi nobilitate, per ambitionem tam funesto exitu perisse. ex caeteris bonis ad XV. aureorum millia in aerarium illata. Argentum, vestis, ac reliquum instrumentum pro caetera fortuna magnificum, palatio addictum. fructus ejus anni in porticum mercatorum, quae tunc extruebatur, impensi. pleraque utriusque bona Sancto Vultui consecrata: ex reliquis sacerdotium constitutum, ut quotidie ad aram libertatis pro salute publica sacrum fieret. Decretum etiam, ut quotannis IV. idus Maij solemnis esset: decemvirique in basilica martiniana sacris interessent: clausis tota urbe, tamquam festo die, taber-

nis: qui mos deinde paulatim exolevit. Et quoniam, uti supra memoravi, pileum ensemque, quem Forteguerrae tamquam principi Urbanus dono dederat, is vanus ambitione in privatam domum magistratu abiens avertisset, statuere ut ea deinceps in palatio, ac principis cubiculo custodirentur, eidemque in publicum exeunti praeferrentur. Utque omnis querelarum materia tolleretur, designatione collegiorum in triennium rescissa, nova comitia habuere, quibus in biennium ac semissem anni decemviri designati: quorum prima sortitio in kal. septembres fieret. Leges quoque novae de ratione comitiorum tum legendis, tum ordinandis collegiis, lectaque subsortiendi: nec non vacationes ab eo magistratu institutae. Lecti quoque terni ex singulis tribubus, qui jus civitatis, immutato illius statu, ad illum componerent emendarentque. Fuere e tribu Pauliniana Bartholomaeus Buzolinius, Nicolaus de Podio, Gerardus Serbianconus. Ex tribu Salvatoris Dominicus Lupardus, Martinus Arnulphinus, Nicolaus Honestus. Ex Martiniana Dinus Guinisius, Ciuchinus advocatus et Nicolaus Serpaganus. Sed inter tot egregia illud acerbum, quod Stornello praemia et immunitates, Cantori etiam annua decreta, quae ex aerario caperet: quibus satis superque fuerat

supplicium evasisse. Haec per XXIV. viros novae potestatis fere constituta: quos quamvis in VI. menses creatos, longe tamen ultra id spatium continuasse magistratum reperio: quod forte ipsi jus sibi ac imperium prorogaverint, cum senatus eorum arbitrii id quoque esse voluisset.

LIBER IX.

BREVIARIUM LIBRI

Lazari Guinisii potentia. Forteguerrae iterum damnati. Milites ad custodiam urbis acciti. Pisanorum res turbatae. Jacobus Appianus, Petro Gambacurtae insidiatur. Andream Stornellum adjutorem adhibet. Gambacurtam interficit. Pisanae rei potitur. Florentinis ac Lucensibus perpetuus hostis. Guinisii de Gambacurtae caede falso insimulati. Albertus Estensis moritur: cui Nicolaus filius succedit. aliquot ditionis ejus oppida se se Lucensibus dedunt. Foedus cum eo ictum adversus Opizum. bellum in eumdem susceptum. ejus oppida capta ac incensa. Nicolaus Guinisius antistes urbis creatur. Montecucculi inter se discordes. iis pacandis legati a senatu missi. Fridericus Gonzaga fraude Appiani captus. Andreas Stornellus supplicio affectus. Ea causa Appianus Lucensibus infensus. ager a latronibus vastatur. Florentini, ac Bononienses opem ferunt. Nuptianum muris, et arce munitum. turbae a Lando Moriconio ob magistratum Altopassus excitatae. hostibus se adjungit. Opizus arma in rempublicam capit. exules illi se addunt. ejus oppida capta et diruta. Barbianus exules juvat. eorum copiae funduntur. Carolus Rongus

capitur. Moriconius fuga elabitur. exules Appiano adjutore iterum insurgunt. fugantur funduntur que. clades inter Pisanos, Lucensesque. Foedus eum rege Francorum ac Florentinis ictum. Opizo patres ignoscunt. census actus. Nicolaus Diversius exul patriae infestus. copiae Latronum cum exulibus agrum invadunt: incendiis ac ruinis saeviunt. Saminiati res novantur. Pisanus ager invasus direptusque. clades invicem acceptae ac illatae. temeritate ducis Lucenses fusi fugatique. Appianus copias in lucensem agrum immittit. Vannes ejus filius moritur. Appianus regulum Insubriae ludificatur. tributum indictum. Pisis ad arma itum. conjuratio in Appianum detecta. Apppianus dominationem in Gerardum filium transfert. Foedus cum Florentinis ictum. Jacobus Appianus moritur. pestilentia Italiam vastat. Alborum origo. Gerardus Appianus Pisas Insubriae regulo vendit. Florentini, ac Lucenses ob eam rem solliciti. Lazarus Guinisius ad regulum legatur. Florentini impedire conantur. redeunti insidias tendunt. idem a suis interficitur. ob eam caedem ad arma concursum. percussores capti, ac securi percussi. Respublica XII. viris permissa. Eorum suffragio Paulus Guinisius dictator creatur. deinde Dominus. ejus mores. Vvenceslao abrogatur imperium.

Continet acta IX. Annorum.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER NONUS

Constituta ad hunc modum republica, aderant kalendae quintiles, quibus novissimum collegium veteris designationis magistratum iniit principe Lazario Guinisio Francisci filio: qui aemulis, aliis morte, aliis exilio sublatis, quique in urbe manserant, odia metu proferre minime audentibus, solus haud dubie omnia poterat: etiam externis scriptoribus tamquam pene Dominus rei lucensis memoratus. Quo tempore cum a quibusdam in controversiam damnatio Forteguerrarum vocaretur, praecipueque de bonorum publicatione ambigui sermones essent; collegium una cum XXIV. viris reipublicae constituendae, summa qua pollebant potestate ratam habuere. novisque rumoribus avertendis CC. milites ex agro ad

urbis custodiam accivere: ea lege, ut arma iis instruendis per domos certorum civium dividerentur. Lecti L. quorum singuli ternis hominibus ornandis arma apud se retinerent: Guinisii tantum armorum haberent, quantum ad L. instruendos satis esset: et certe, ut scriptores ejus temporis memoriae prodidere, civitatis principatus penes Guinisios erat; nihilque publice agebatur, cujus ipsi auctores antea non fuissent. Quare quicquid usque ad Lazarii mortem consilio publico gestum dicitur, id Guinisiorum auctoritate factum intelligendum est, ut monet Sercambius. Vix dum quietis Lucensium rebus, Pisanae turbavere. quae quoniam nostris conjunctae sunt, altius earum originem repetere non ab re fuerit. Obtinebat eo tempore pisanam rempublicam Petrus Gambacurta, vir placido ingenio, et quietis amans, aliorumque de se aestimator: ob idque incautus apertusque fraudibus; et plus quam imperanti tutum est, simplex et incallidus. Haerebat illi omnium arcanorum arbiter Jacobus Appianus, quem tenui loco ortum, sed ingenio vivido et erecto, juvenem adhuc in consortium pene principatus adsciverat. id etiam, praeter proprias ipsius dotes, patris memoriae tribuens: quem in ea Gambacurtae domus ruina, quae Carolo imperante accide-

rat, eadem fortuna involverat. Sed haud quaquam tam gratae principis voluntati par gratia a Jacobo relata. quippe caecus ambitione id unum agebat, ut viam sibi occulte, depulso Petro, ad dominationem sterneret. Itaque gratia, qua apud eum poterat, conciliando sibi hominum favori utebatur: eorum praecipue qui mediolanensi regulo studebant, aut Florentinis adversabantur; quibus Gambacurta amicus fidusque ad eam diem extiterat. Gnarum id principi: sed ipsius imprudentia jam is erat Jacobus, ut ipsi Domino timeretur. consuetum dominantibus malum, qui alterius fidei plus aequo tribuentes, eo rem deducunt, ut necesse habeant aut alieno arbitratu vivere, aut perire: quod Gambacurtae successit. Sed quod jam ante secum proditor animus ambitione deliberaverat maturandi ab ira stimulus accessit. intercedebant Appiano cum Lanfranchis simultates, princepsque causae ipsius iniquior videbatur: accedebatque insuper in Florentinos ultra veteres iras recens dolor, capti per eos, aegreque postea redempti Vannis filii, quem in auxilium mediolanensi regulo, adversus eam rempublicam gerenti bellum submiserat. Quare ultionis avidus, quam Petro pisanam rem obtinente sperare non poterat, haud ultra differre meditatum scelus decre-

vit (1). Igitur junio mense hujus anni, communicato ante consilio cum Joanne Castellionensi, (oppidum est id lucensis agri in feroniensi provincia situm) literas ad Andream Stornellum notae audaciae hominem dedit, ut alterius rei obtentu quam maximam posset hominum multitudinem ex florentino agro colligeret, intraque lucenses fines induceret, ibique mandata ipsius opperiretur. Sed cum ea res permanasset, captis quibusdam consciis, et confessione quaestionibus expressa, Sarago quidam obscuri sanguinis capitali supplicio affectus: Ranerius vero Zaccus domo nobilis, Podiorum precibus donatus, quippe matre ejusdem familiae genitus, grandi tamen pecunia multatus, ac Rhodo insula clausus. Cumque missis Lucam oratoribus, Gambacurta questus esset, amicam urbem in pernicem suam conjurantibus adesse, patres causati nihil super ea comperti habere, daturosque operam, si vera essent quae legati quererentur, ut ipsi satisfieret: Joannem Sercambium Feroniam misère, (quippe multitudinem armatorum eo convenisse, literis ad Guinisios datis sub legatorum discessum compertum erat). Is citatis equis cum

(1) An. 1392.

sub noctem eo pervenisset, publicis mandatis Nicolao Podio eam praefecturam obtinenti expositis, compertoque legatos vera nunciasse, discussa res est. Nec tamen ob id incepto Appianus destitit, quem miser senex stolida credulitate, pene proditionis convictum, adhuc fidum putabat. Quippe octobri mense per eumdem Stornellum, ac Joannem castellionensem; meditato sceleri extremam manum in hunc modum imposuit. Excessere Luca XIV. kal. novembris sub vesperam Joannes et Stornellus, nonnullique militum, quos in conscientiam assumpserant. et ne suspecta res foret, condixisse Marliam (proximum urbi pagum tribus ferme passuum millibus) ad coenam in vulgus sparsere. eo plures e provincia feroniensi, aliique e pagis suburbanis ex condicto adfuere: Pisas iter arrepturi, ubi se tenebrae intendissent. Sed adversa tempestate detenti, rem ita occulte agere non potuerunt, ut eorum consilium non sentiretur. quippe ea nox foedis imbribus, ventisque adeo procellosa extitit: amnisque Aesar haud longe fluens, ultra modum auctus, se se proximis campis viaeque ita superfudit; ut omnibus circa late stagnantibus, vix incedens miles pectore tenus aquis extaret: unde et plerique vitae discrimen adiere, cum spissae ultra morem tenebrae per

gurgites euntibus usum oculorum adimerent; saepius etiam per lubrica, lutoque mollia, nunc haerente, nunc subducto ac fallente vestigio: facesque quae in praesidium noctis accensae praeferebantur, pluvia ventisque malignum lumen spargebant. Quare difficultate itineris, cum media nocte jam exacta, quo tempore jam ad Pisarum portas stare oportebat, praeter muros urbis transirent, luminibus ab iis, qui in statione erant conspectis, cum non de nihilo id temporis ea res visa foret, certiores facti decemviri, consilium raptim advocavere. intellectoque Joannem ac Stornellum esse, qui cum armatorum manu Pisas pergerent, Guidonem Manfredum et Brunettum Malizardum ad eos misere, qui publico nomine regredi pro imperio cogerent. Illis armatos ad Massam, cui Pisanae nomen est, consequutis, publicisque mandatis expositis, cum per varias cavillationes aliquandiu extracta res esset, tandem ejus latrocinii duces, in potestate consilii se futuros respondent, quo securius fallerent; sed homines vigilia ac labore viae affectos quiete, aliquanta indigere, reversurosque ubi corpora curassent. Cum hoc responso dimissis legatis, cibo raptim sumpto, militari via digressi ad laevam per montes secus Ascianum, Calciumque Pisas festinato iter arripuere: seroque

fraude intellecta, decemviri per agrum ac praecipue adjecta pisanis finibus loca urbanorum militum cohortes praesidii causa submisere: evocatis trepide in urbem, qui aut otii, aut colligendorum fructuum causa cum familiis in agris erant, ne Pisarum dominus eo facto exasperatus, subita aliqua in lucensium fines irruptione incautos exciperet: portaeque acriori custodia servatae, ne quis urbe egrederetur. Diluxerat jam, cunctaque Lucae in suspenso erant. cum circa tertiam diei horam nunciatur Joannem Lanfrancum Pisis, dum in palatium iret, una cum filio, per Vannem Appiani filium caesos: unde major sollicitudo, saeviorisque alicujus cladis injectus timor. Ea caede Gambacurtae nunciata per praefectum militum, qui Pisis in praesidio erant, cum amice insuper moneretur ut caveret, id enim initium mali esse, nec ibi rem staturam, is, seu insita lentitudine ingenii, seu fatis jam instantibus, respondit: privatarum simultatum eam ultionem esse, nec inducere in animum posse, adversum se ab Appiano ea moveri. iret tamen, praesidiisque urbem firmaret. Praefecto vix e palatio domum digresso, servus trepidationis pavorisque indicia praeferens ore nunciat, ingentem armatorum vim Luca adventare, jamque ad portam calcensem adfuturam:

se enim domestici negocii causa ea via profectum in venientes incidisse, conspectisque longinquo, conversis habenis festinanter regressum, ne imprudentes opprimerent. Cum hoc novo terrore praefectus in palatium reversus, principem inter Appianum alterumque e duobus liberis medium offendit; expositisque quae de servo audisset, Appianus fraude plusquam pisana ad Gambacurtam dissimulanter conversus, iturum se, inquit, praesentemque quid sibi illi homines velint exploraturum; amicos enim venisse arbitrari. Gambacurta ea simulatione captus; quique in homine exactae jam aetatis (quippe LXX. annos nato) ac praeterea tot beneficiis devincto, tam praeposteram ambitionem, tantamque perfidiam nunquam timuisset: proditorem ire, traditis calcensis portae clavibus, seduloque advigilare, ac in praesidio esse jubet. ignarus dominandi cupiditatem etiam moderatis hominibus novissimam exui, nullisque beneficiis mitigari proditorum ingenia. Appiano digresso princeps bonitatis suae tandem poenitens, doloque intellecto, ad ea consilia conversus est, quorum tempus effugerat. Itaque sumptis armis, idem suos facere jubet, praesidiaque in hunc modum disponit. Benedictum alterum e liberis cum universo equitatu forum decemvirorum,

praefectum cum suis militibus publicum occupare jubet: se se cum Laurentio filio, ac stipendiario milite ad pontis veteris aditum in praesidio futurum. Interim Appianus lucenses copias in urbem induxerat: raptimque et ipse armatus cum Vanne filio, ac nonnullis amicorum, Stornello ac Joanne cum sua manu comitantibus, secus Arnum ad pontem veterem aedesque Gambacurtarum iter instituit. Eo superato, pugnaque cum iis, qui ad pontis aditum stabant commissa, diu et atrociter utrinque pugnatum; multis vulneratis, aliis caesis, inter quos ipse Petrus Gambacurta in Appiani oculis ejus jussu confossus est. cadaver ad vesperam jacuit, miserandum intuentibus spectaculum: quo tempore sine cantu ac facibus, aut alio funeris honore, majorum sepulcro illatum. Juvenis filius, hasta femur trajectus, e pugna subtractus ac pro mortuo in vicinam aedem sacram sublatus: caeteri fuga dilapsi. Appianus primo praelio victor, inde ad forum decemvirale aciem convertit, ubi alia non minus atrox pugna commissa; cum utrinque de vita, ac imperio dimicaretur. ibi quoque diu sustentatum, donec juvenis Gambacurta insigni vulnere accepto suorum aciem inclinavit. Itaque fuga passim facta, Appianus omnino pisanae rei potitus est: adversariis partim caesis, par-

tim vulneratis, aut captis: duobus insuper juvenibus Gambacurtis intra paucos dies, seu vulnerum dolore, seu alia vi extinctis. Perque eum modum exitu tam saevo Gambacurtarum domus concidit: quae moderato imperio tot annis pisanam rempublicam tenuerat, magis justorum principum more, quam illorum, qui libertate oppressa, eos a quibus odio se haberi sciunt saevitia ulciscuutur. Gambacurtis eorumque factione sublata, omnia in unum Appianum confluxere. qui novo principatu tumidus, ut iis mos est, qui ex humili in magnas fortunas inopinati venere; equestri insuper dignitate auctus, quae ingens iis temporibus habebatur, cunctis circa minari coepit, Florentinis praecipue, ac Lucensibus, quamquam ab his, etsi privato consilio, in obtinendo principatu adjutus. Sed privatam gratiam publica injuria vincebat: quippe revocatos rectorum imperio partium suarum fautores, accisamque sibi, quantum ad rempublicam attineret, ad dominationem viam, alte in animum demiserat: unde nullus se incommodum praebendi, per occasiones, finis, ut paulo post memorabimus. ut proinde mirer, nostrorum concordi silentio, a scriptoribus rerum florentinarum memoriae proditum, Gambacurtae caedem Lazarii Guinisii consilio factam. Qui enim fieri

potuit, ut Guinisiis tunc omnia regentibus, iidem percussores immitterent revocarentque? nisi forte scelesta mandata augendae mortuorum invidiae occulte fingantur: a quibus tamen clarorum virorum memoriam purgat perpetuum Appiani in rempublicam odium, quae tunc ut dixi, Guinisiorum arbitrio regebatur. aut ingratus et proditor animus, veteres juxta recentesque amicos pari perfidia fefellit. Exitu anni, indicio delato occultos coetus adversus novam potestatem fieri, multi civium in carcerem conjecti: habitisque severe quaestionibus, Nicolaus Ronsinus, qui sponte indicium detulerat capitali poenae exemptus, ad fines Germaniae relegatus: Michael Leonius et Orlandus Simonettus securi percussi: Nicolaus Sardinius cum clam fugam arripuisset, hostis judicatus, bonaque ipsius publicata. Petrus etiam Rapondus in exilium pulsus, bonaque in fiscum redacta. Bartholomaeus tassinianensis qui levius deliquerat in sex menses Venetias ablegatus.

Sequenti anno (1) turbatis circa populis, quietae domi res fuere. Obierat supremum diem julio mense Albertus estensis Ferrariae

(1) An. 1393.

regulus, nulla ex legitimo connubio virili prole: successeratque Patri Nicolaus puer adhuc decennis, si natalium maculam demas, caetera egregius. Aderant puero donec maturior aetas adolesceret, rectores administratoresque dominationis Albertus Comes tripolitanus, et Thomas Obicius lucensis (a quo Obiciorum illustris Ferrariae familia); quorum consilio omnia gerebantur. fremente interim Actio reguli propinquo, qui dominationi imminens, res novare cupiebat; irrito conatu, deprensis consiliis oppressisque. Majorem tumultum Opizus Montiscaruli dominus exciverat, subito impetu in Frinianam regionem quibusdam oppidis regulo ereptis, montanorum auxilio, quorum plures consilia et arma miscuerant, et arcis, quam ad Pelagum vocant, munitione fretus; quae praedantium receptus erat. Quare Fanani, Fiumalbi et Rivolunatae nobilium oppidorum incolae, quibus cum Opizo veteres simultates, veriti ne et ipsi opprimerentur, legatos Lucam ad poscenda auxilia misere: professi, si regulus dominationem non teneret se in ditionem lucensis populi venturos: eo incolumi, socios amicosque futuros. Patres Augustinum advocatum cum auxiliaribus copiis submisere, quarum praesidio ab injuriis defensi. quibus cognitis, de consilii sententia, cui veteres Lucensium irae

in Opizum non obscurae erant, regulus ad senatum literas dedit, quibus foedus et amicitiam postulabat; simulque ut arma in communem hostem jungerentur. nec difficulter impetravit: quippe Lucenses et regulo ob merita amici, et Opizo propter injurias infensi. Igitur facto S. C. quo bellum Opizo indicebatur, fine augusti peditum equitumque copiae, tam ex militibus externis, quam e popularibus ex agro collectis, armatae instructaeque sub vexillis stabant, in quatuor praefectos divisae, Joanne Castellionensi, Nicolao Guinisio, cui cognomen Berla, Joanne Sercambio, et Joanne Sernicolao. Hi mature in hostem profecti, Pelagum, quae caput belli sedesque erat, iter intendunt. quo cum sub vesperam pervenissent, Nerius alter ex Opizi liberis exercitu Lucensium conspecto, arce cum suis egressus, continentia muris aedificia, ne receptui hostibus essent, subjecto igne incendit: raptimque commisso praelio multi utrinque vulnerati, inter quos Mombiliardus Germanus hastatorum praefectus, manu strenuus, usuque militaris rei peritissimus, veru per viscera adacto, multo Lucensium dolore biduo inde expiravit. ea nocte castris tumultuario positis exercitus ibi mansit, pluribus passim ad fovenda corpora ignibus excitatis, frigido Apennini coelo, et solito citius hiemante. Sequenti die admotis machi-

nis oppidum oppugnari coeptum: eoque tandem in potestatem populi lucensis redacto, arx restabat. quae diu multumque omni arte oppugnata, ipsa quoque per deditionem in manus nostrorum venit, eique praesidium impositum. Dum lucensis exercitus circa Pelagi arcem sedet, Sanctandreenses (Oppidum est non longe a Pelago), veriti ne Pelagensium excidium ipsorum ruina sequeretur, obsidioni ferendae se comparabant: injecto in mapalia aedesque oppido propinquas igne, ut hosti solitudinem facerent. Sed flamma vento adjuta latius fudit incendium, oppidumque ipsum ea clade absumptum in cineres deflagravit; ruinisque ejus, oppidanis eorum fidei se se permittentibus, lucenses praefecti supervenientes potiti. Inde copiis cum reguli ducibus, et auxiliaria Montecucculorum manu, qui e stipendiariis populis ad quadringentos armaverant, junctis, ad alia oppida expugnanda progressum. ex quibus Fluminaticum, ultro deditione facta, obsidionem non expectavit. Vallium majore animo defensum ab incolis aliquandiu est: sed et ipsum, admotis machinis tormentisque, post aliquot dierum oppugnationem, illatis acceptisque invicem cladibus, ad deditionem compulsum. Eadem belli fortuna Monsonium captum incensumque: vastatisque omni-

bus igne ferroque circa Montopisum, dum nostri oppidum aggredi moliuntur, inopia commeatuum, qui nec Luca subvehi commode poterant, nec reguli duces ex condicto paraverant, coepto desistere coacti in urbem revertuntur. edita ante vinearum silvarumque strage, corruptisque late quae jumentis pecorique alendo montani congesserant; nullo praeterea hostilitatis genere omisso. Capta oppida regulo tradita, praeter unam Pelagi arcem, quae in populi lucensis ditione mansit. eam novis munitionibus praesidioque valido unius ballistariorum cohortis firmare senatus decreverat: quod negligenter omissum fraudi in posterum fuit.

Dum haec pro sociis geruntur, septembri mense obiit Joannes urbis antistes. Natus is in phocensi lucensis tunc agri oppido, ad profluentem Arni sito, honesta Saluutiorum familia, sanctiorisque vitae desiderio asperam minorum disciplinam sequutus, gravitate morum, ac sapientia, qua divinarum humanarumque rerum cognitione pollebat, studia civitatis meruerat, ut Riparia e vivis sublato ad sacerdotium a pontifice maximo postularetur. Is pontificum aedes auxit: duratque ad haec tempora titulus cum Saluutiae gentis insignibus, ejus facti indicium. Vacuum Joannis morte hono-

rem, collegium majus basilicae martinianae, omnia in unam domum decora, veluti de industria congerente fortuna, Nicolao Guinisio Lazarii filio, Nicolai nepoti consensu detulere. quamquam juveni adhuc, nullisque sacris initiato. qui tamen innocentia morum, eximioque erga patriam studio, sanctitati loci satisfecit. Ea designatio per Bonifacium pontificem haud aegre probata; cum et ipse florenti aetate summum sacerdotium obtinuisset. Insequens annus (1) nihil admodum memorabile reipublicae attulit. nova tantum vectigalia dotium et eorum quae ab externis legarentur, instituta: portoriumque vini salisque, quae immunia ad eam diem fuerant. Postulante etiam Philippo Francorum regis filio, Petro Rapondo, publicata jam et in fiscum redacta, nec non haeredibus Michaelis Leonii bona restituta. Cumque ad redigenda Forteguerrarum reliqua Brugas bini quaestores missi essent; alter ex iis Gaspar Nellus, dum publicum munus obit, multis vulneribus confossus, e quibus postea convaluit. cui injuriae ulciscendae quatuor civibus negocium datum: quantumque pecuniae in eam rem opus esset ex aerario decretum. Nonnulli

---

(1) An. 1394.

etiam motus in friniana regione extitere. discordi inter se Montecucculorum domo: exorta de nonnullis oppidis controversia, quae quisque sui juris esse contendebat. cumque Lancilottus Gasparem captum in custodia detineret, Ursina captivi soror implorata Lucensium fide patres movit ut ad veteres amicos inter se componendos legati mitterentur. Ivere Joannes Sercambius, cum Leonardo novocastrensi, et Jacobo Bertolinio castellionensi: quorum opera, quamquam aegre Gaspar in libertatem restitutus est: effectumque, ut interim oppida, de quibus disceptabatur, donec arbitrio lis finiretur, nomine populi lucensis praesidiis firmata, partium voluntate tenerentur. Fuere ea Monfortium, Gaia, Montecucculum, et Somesium. Sed Lancilottus mutato consilio, cum nec patrum judicio stare vellet, nec praestare sumptus, qui facti in praesidiarium militem erant, Somesio tantum illi reddito, caetera Gaspari adjudicata. Eo quoque anno in villa suburbana Florentiae repentina morte obiit Joannes Agutus, insignis sui temporis latronum ductor: ex utilitate florentini, ac lucensis populi hostis, aut amicus. ab utrisque annua illi ac domus e publico constituta. Funus ei illustri pompa, tamquam armorum ejus reipublicae imperatori, Florentiae actum. effigiesque manu Pauli Uccelli, pingendi

arte ea aetate celebris in basilica maxima adhuc durat. Sepulcrum marmoreum a senatu illi decretum, incuria posteritatis omissum: haud quaquam pari meritorum apud praesentes ac apud posteros gratia. Inierant sequentis anni priorum mensium magistratum decemviri , Dino Guinisio principe, cum nova res turbarum inter Lucenses Pisarumque tyrannum Appianum, initium fecit (1). Appianus mediolanensis reguli instinctu, ut postea compertum est, Fridericum Gonzagam, illustri Mantuanorum regulorum domo capere decreverat. Quamobrem datis ad Andream Stornellum notae famae sicarium, nonnullosque alios Lucenses literis, eos in consilii conscientiam, ac ministerium assumpsit. nec quicquam propius factum est, quam ut homo nobilis omnis doli ignarus, dum Genua per lucensem agrum iter facit, insidiis exceptus ad pontem Aesaris, cui a D. Petro appellatio, non sine lucensis nominis probro caperetur: atque inde Pisas, mox in Insubriam Mediolanumque transmitteretur. Accensi ea injuria patres, infamiae insuper amoliendae, truci decreto in eos facto, qui publicam securitatem tam insolenter violassent, conquiri noxios ad poenam jussere.

(1) Ann. 1395.

cumque caeteri fuga se subduxissent, Stornellus, fatis illum ad merita supplicia poscentibus, in urbe substitit, velut innoxius. quippe cunctis clam dispositis, ipse de industria dum Gonzaga caperetur non interfuerat. Illo igitur in custodiam dato, quaestionibusque de eo severe habitis, universi facinoris ordo cognitus: patefactique quorum aut imperio, aut conscientia patratum fuerat. quare postero die securi in foro percussus est; non occulto bonorum gaudio, quod sua tandem scelera in auctorem recidissent. Mortem constanti animo excepit. et tamquam imputaret, candida veste amictus ad supplicium perrexit. suo judicio innoxius. Siquidem cruenta mens albato corpore expiaretur. Joannem castellionensem, et ipsum nobilem sicarium, suus metus poenae subtraxit. sponte in exilium profectum, cum de suo capite quoque consilia fieri sensisset. Stornelli captura, ac paulo post morte intellecta, Appianus pudore simul ac ira incensus, in Thomam Ghivizanum, quem patres ad expostulandam injuriam miserant, manus inijcere statuit, Sed is, ubi Stornellum morti addictum fama vulgavit, arrepta fuga, saevi fallacisque hominis consilium elusit. Igitur sua spe frustratus, Nicolaum Stregum, et Joannem Benectonum nobiles cives, qui tunc forte Pisis erant, in carce-

rem conjecit: destinaveratque eos capitali supplicio, piaculares Stornelli manibus victimas. nisi placatior Deus, et sua innocentia illos servasset. Sed ferox animus quiescere sine aliqua ultione non poterat. Itaque obtentu alio accitis Broila, et Brandolino latronum ducibus, factoque tumultuarie super Arnum ponte, noctu cum suis copiis in agrum lucensem transire jussit, qui subita irruptione, agris late igne ferroque vastatis ad pontem D. Petri penetravere: captis etiam ad CCL. hominum, praedisque ex agrestium spoliis, villarumque nobilium actis: tanto impetu ut quamvis submisso cum copiis Thoma Ghivizano, sisti ea vis nequiverit, quominus per decem dies desaeviret. Ad famam nunciosque ejus cladis Florentini, ac Bononienses, fidelium sociorum officio functi auxilia submisere duas lanceariorum cohortes. Regulus quoque mediolanensis, ex iis copiis quas Pisis habebat L. lanceariorom manum obtulit: cui pari dissimulatione a patribus gratiae actae; ne specie auxilii hostes acciperent; acciti etiam ex agro milites, quibus adjunctae pedestres equestresque urbis copiae; earumque imperium Gaspari Montecucculo traditum. Quare latrones veriti, ne confluentibus in dies Lucensium auxiliis circumvenirentur, vico ad D. Petri pontem incenso, Pisas re-

cessere, nostris ad fines usque eorum tergo haerentibus; qui contenti hostes expulisse, Pisanorum agro, quoniam ita mandatum erat, abstinuere. Ob egregiam florentini populi, in eo rerum articulo fidem, placuit, ut cum eo foedus renovaretur. missusque ea causa Florentiam cum potestate Nicolaus Podius; societasque inter utrumque populum in quinquennium redintegrata; inter cujus leges ea fuit, ut Florentini centum lanceariorum cohortem Lucae ad repentina belli alerent. Ea clade edocti quos penes imperium urbis tunc erat, Guinisiis auctoribus, Montecucculum cum praefectis auxiliarium, adjunctis Nicolao Maulino, ac Joanne Sercambio civibus, peritissimisque centurionum ad cognoscenda loca per agrum misere: ut aliqua vi rursus ingruente, cuncta parata ad obsistendum forent: iis referentibus vicus ad pontem D. Petri, quia nimis in longum porrectus non ita facile propugnari poterat, dirutis quae incommoda videbantur, brevior factus: duabus tantum portis quibus adiretur relictis; altera trans flumen, Carinianum et septentrionem, altera in orientem, ad lapidei pontis aditum versa: turri praeterea novis operibus firmata, et sublicio ponte addito ut hosti aditus intercluderetur. Nuptianum quoque muro cingere placuit, arcemque magni operis

extruere: nec non Castiglioncelli munitionem, lucensis agri claustra. quae intra breve tempus perfecta, instantibus operi Lazario Guinisio Nicolai filio, Bonaccursio Balbano, et Thoma (1) Ricciardo, quibus ea curatio demandata fuerat.

Externos hostes domestici excepere. Exulabat Romae ruina Forteguerrarum oppressus Landus Moriconius. Angebat ferocis ingenii virum, partium adversarum fortuna, quas dominari in republica cernebat; cupiditate ultionis, quaecumque se offerret occasio inimicis incommodum se praebendi, avide arrepturus. nec eam diu sors distulit. Topalsii lucensis tunc agri nobili oppido, ac Florentinorum clade memorabili, domus est hospitio peregrinorum celebris, censuque praedives. ei regendae praesidet quem magistrum appellant: qui honos nobili lucensi mandari solebat, nunc eum in se Florentinorum reguli transtulere. Obtinuerat eum magistratum Bartholomaeus Rapondus: quo per eos dies vita functo, alterum ii ad quos spectabant in demortui locum suffecerant: patribusque eam electionem probantibus, literae ad Moriconium publice conscriptae, quibus imperabant, operam daret, ut illam pontifex maximus ratam haberet; vel saltem rem integram in adventum legatorum, quos missuros significabant, ser-

(1) Ejus insignia adhuc extant ad oppidi portam.

varet. Moriconius, sive in ejus animo publicum odium, sive privata utilitas valuit, mandatis patrum neglectis, eum honorem, tamquam vacuum, Bartholomaeo uni ex liberis, puero nondum decenni, impetravit. quod ubi Lucam nunciatum est, ira simul pudorque contempti imperii patrum animos in contumacem accendit. Stimulabat etiam ex opinione imprudentiae dolor, tamquam merito deceptis, qui laeso credidissent. Quare minacibus literis officii illum admonuere. denunciata publica offensione, nisi imperio paruisset. Quibus pari contumacia spretis ipse cum filio exulare jussus. obfirmatique patres in ea sententia, ne possessio pueri nomine adiretur. quamquam frangendis religione animis diras a Pontifice impetrasset, quibus civitati sacra interdicerentur. Quod ubi animadvertit homo ferocis spiritus, reputans eo facto et in se publicum odium auxisse, et compendium privatim non fecisse, praeceps consilium a temeritate mutuatus est, reipublicae hostibus se se adjungendi. Pelagi arce, ut supra memoratum est a Lucensibus capta, Opizus id unum spectabat, qua ratione eam victoribus adimeret. Aderat ejus consilii Lancillottus ob ademptam dominationis partem lucensi populo infensus: et quamvis ei non satis juxtae irarum causae, tamen irascebatur. Itaque ineun-

te anno 1396 asperrima hyeme cunctisque circa praealta nive oppletis, cum nihil ab armis metui posset, proditione incolarum in oppidum cum suorum manu recepti, consciorumque domibus occultati, dies aliquot mansere: donec captata alterius praefectorum absentia proditorum favore caesis custodibus in arcem irrumpunt, eaque potiuntur: praesidio capto, praeter eos qui captivitatem fuga praeverterant: ante in ea desperatione, ne hostis potiretur, igne in tormentarium pulverem injecto: unde praetorium incendio haustum; alimentaque flammis ruinisque corrupta. frustra ex urbe ad eam recipiendam ingenti militum numero submisso. Siquidem tam foeda tempestate in alpium transitu conflictati sunt; ut cum nec stare, cunctis gelu rigentibus, nec aggestam in cumulos moliri nivem possent, regredi coacti fuerint: quibusdam etiam frigoris vi intercluso spiritu, ac stupentibus membris ea clade absumptis. Occupata pelagi arce Opizus Pisas ad Appianum Lucensium hostem advolat; ibique Moriconium aliosque exules offendit: inter quos praecipui Carolus Ronghius, cui veteres cum Guinisiis simultates, et Jacobus Michaelius. Ibi communicato consilio, ut bellum majori mole urgerent, Joannem Barbianum insignem latronum ducem ad sua stipendia conducunt:

exulibus in turmam C. hastatorum equitum sumptus praebentibus. ea conditione, ut uno tempore Barbianus cum exulibus lucensem agrum; Opizus cum aliis e Feroniensi provincia consciis eumdem invaderent: Pisanis pecuniam et arma praebentibus. Quae omnia, Martino Guerra uno ex consciis capto, ac deinde supplicio affecto, ordine cognita, ingentem curam patribus injecere. Itaque Bartholomaeo pratensi, et ipso latronum duce, in auxilium evocato, qui sponte Appiano infensus pisanum agrum per id tempus vastabat, alias ei copias adjunxere; quarum praefecti erant Antonius Obicius, et Ludovicus Cantellus: qui coactis ex universo lucensi agro militibus, instructi paratique in armis fuere. Adjunxere se etiam sociorum auxiliares turmae Florentinorum, qui CCCC. lancearios, duce Ugone germano; et Bononiensium, qui et ipsi lancearios, Duomo Germano praefectò submisere. Quare praeter ingentem peditum numerum, ad duo, et amplius equitum millia lucensis populus sub signis habebat. proditumque memoriae est instructis utrinque copiis, ad sex millia equitum in armis stetisse. His ita comparatis, antequam quicquam a Barbiano atque hostibus moveretur, Lucenses ultionis cupiditate in Frinianam regionem, adversus Opizum partem copiarum praefectis Jo. Petro Podio, Joan-

ne Sernicolao, et Augustino Advocato, una cum Joachimo Mutilianae comite, agrestis militiae duce, misere. qui irarum pleni, ad Pelagum, belli sedem contendunt. Sed Opizus veritus ne oppidum tueri non posset, illud ruinis solo aequaverat. Itaque agris passim incensis, fruges jam maturas corrumpunt: positisque ad D. Andraee oppidum castris, illud ex omni parte oppugnare instituunt, sed cum vi parum proficeretur, arte capere aggrediuntur. Nam cum oppidanos, eruptione facta ad pugnam excivissent, sensim recedendo longe a muris pertraxere. tunc ex improviso a tergo ipsorum coortis, quos in insidiis locaverant, circumventos passim trucidant. quare oppidani suorum misericordia se dedidere. Lucenses oppido potiti, eoque praesidiis firmato, Fluminaticum perrexere. Quo capto direptoque, eadem felicitate Vallium et Castanearium obtinuere. cujus incolae cum se aliquandiu strenue defendissent, Lucenses cum facibus ad moenia successere: iisque in aedificia conjectis, cuncta passim continenti incendio arsere. Itaque oppidum igni absumptum, direptis per milites, quibus flamma pepercerat, ingenti captivorum numero secum acto; qui tamen deinde domum sine pretio remissi; incensis ante dirutisque Fluminatico, ac s. Andreae oppidis; quamquam id le-

gibus deditionis cautum esset: quas in toties rebellantes violare religio non fuit. Mitius cum caeteris oppidis quae sponte deditionem fecerant, actum. Atque ita temeritatis suae Opizus poenas luit. Ulteriusque etiam victoria processum foret, nisi patres victricia arma revocassent. Barbiano jam cum exulibus Librafactam, pisani agri in Lucensium finibus ad Aesarem oppidum; et in subiectos flumini campos transgresso. Tribus locis Lucensium exercitus tendebat. Urbanae copiae intra urbem: Bononiensium et Florentinorum turmae non longe a muris: Pratensis cum Obicio, et Cantello ad pontem vicumque D. Petri castra posuerat. itaque equitatu Castiglioncellum praemisso, pedestris acies Librafactam deducta est: ibique ex improviso hostes adorti, primo impetu eos fudere, captis DC. equis, et impedimentorum parte. interque sarcinas Landi Moriconii una, in quam plura vexilla conjecta erant, quae ubi in lucensem agrum transgressus esset, in patriae contumeliam sustolleret. Ea in urbem a Joanne Sercambio, et Joanne Sernicolao, qui missi ad exercitum fuerant, relata, acerbitatem hominis ostendere: jussuque patrum in majoris basilicae ornatum dicata. Inter alios capti Carolus Rongus, et Galeatius Gonzaga, qui in castris Pisanorum erat, inermis ac semi-

nudus, dum traijcere flumen parat: unaque cum illo pars equitum, quibus praeerat. arma etiam equique Moriconii et Michaelii in nostrorum potestatem, ipsis fuga per eum tumultum elapsis, cum caeteris spoliis praedaque, ingenti gaudio venere. Sed ne sincerum id omnino esset, Pratensis inconsulta cupiditas effecit. Namque is amplioris praedae spe, cum manu cui praeerat, sublatis signis in pisanum agrum transgressus, modico praesidio, ad captivorum manubiarumque custodiam relicto, victis animum dedit. Itaque Barbianus cum suis trajecto flumine, quibusdam nostrorum vulneratis, captivorum partem recepit: interque eos Ronghum, bono fato suo supplicio subtractum; quod hostem, ac perduellem haud dubie manebat. Capti etiam nonnulli Lucensium, inter quos Joannes Boctilerius britannus, hastatorum equitum praefectus. et quidem si eo die Pratensis, tam boni ducis officio functus esset, quam Obicius, et Ugo florentinorum auxiliorum praefectus, uno praelio bellum profligatum erat. ea victoria non admodum laeta lucensi populo extitit: siquidem praeda sociorum, clades eorum fuit, qui reipublicae stipendiis militabant.

Nec tamen Appianus, exulesque lucenses, quamquam parum prospera fortuna usi, quievere. Sed concepta spe, felicius se longe ab

urbe arma laturos, in feronensem provinciam impetum facere, ducibus Joanne castellionensi, quem supplicii metu Luca profectum supra memoravi, Petro Michaelio Bartholomaei filio, quem Perinum vocitabant, et Joanne Sala cum latronum manu: peditibus praeterea, et equitatu ex Insubria, ejus reguli voluntate, mercede conductis. Primo adventu castra haud procul Dallo posuere. nec multo post praefecti proditione in oppidum introducti, consciis etiam quibusdam e Silani Soragiique popularibus: e quibus Buosus Silanensis securi Lucae percussus. Dallo hostes potiti, eadem spe Novocastrum accessere. Sed adventu copiarum, quas Luca patres submiserant, praefectis Bartolomaeo Guinisio Francisci filio, Joanne Boccansochio, et Ciuchino advocato perterriti, fugam arripuere. quos nostri ad oppidum Sandonninum consequuti, aliis caesis, aliis vulneratis, partim etiam captis fudere. Inter caetera signa militaria, quae in manus nostrorum venere, unum repertum, pestiferae Ghibellinorum factioni renovandae, aquila nigra notatum, quod Joannis castellionensis fuisse ferebatur. Lucenses ab ea victoria Dallum conversi, per deditionem recepere. nec ideo ab ira temperatum, quominus clarum oppidum a militibus direptum, et magna ex parte incensum

fuerit: arce etiam turrique solo aequata. Eadem clade saevitum in Silanum Soragiumque: quippe diripienda militi concessa, ruinisque et incendiis deformata: hostes quoque a senatu judicati, quicumque civium cum Appiano ac exulibus sensissent. quos supra XXX. non sine publico dedecore fuisse constabat. Ex eo tempore modicis damnis inferendis, accipiendisque utrinque bellatum. Nam et Pisanorum manus lucensem agrum ingressa, vastatis circa Rotam campis, incensisque continentibus oppido aedificiis: contra Lucenses Calcium aggressi, ingentique praeda potiti, magnam oppidi partem incenderunt. Pisanis rursus Vurnum, Cosellumque pagos depopulantibus: donec Nicolaus Montiscudarii comes (oppidum ad Cecinam amnem in maritimis Etruriae situm) utrosque a mutuis odiis in se convertit: Pisanos, ut illatas injurias propulsarent; Lucenses, ut amico adversus hostes auxilio essent. Ceperat in Pisanos arma Nicolaus, fretus latronum manu, cui a Rosa nomen erat, quam ei in auxilium Florentini Appiano infensi submiserant: aliaque eorum oppida capiendo, alia vastando; pecora insuper abigendo, hominesque in servitutem ducendo gravem se praebebat. Junxerant se illi Gambacurtae fratres, quos justus in Appianum dolor, parente Gerardo ac Petro avo inter-

fectis, in ultionem stimulabat. Aderant utrisque Lucenses, et ipsi in acerbum reipublicae suae hostem, alienarum injuriarum obtentu suas ulturi. Tantam belli molem veritus Appianus ad Insubriae regulum confugerat, a quo Paulus Sabellus e romana nobilitate cum valida auxiliorum manu destinatus. Venienti ad Mutronem, Lucensium tunc agri maritimum oppidum, obviam fuere Lucenses: dispositis praesidiis, ductisque a mari propugnaculis valloque, transitu prohibituri. Sed cum Florentini, quorum instinctu illa agebantur, quamquam aliis super alios nunciis sollicitati, consilia potius, quam auxilia mitterent: ex una parte Sabello cum Insubribus, ex altera copiis, quas Appianus Pisis submiserat urgentibus, Lucenses ancipiti malo circumventi, cum diu obstitissent, egregia edita pugna, in qua plures utrinque caesi vulneratique, locum deserere coacti sunt: saucio graviter ex insigni vulnere in ore accepto, Joanne Boctilerio hastatorum duce, dum inter promptissimos dimicat. Nec diu bellum id tenuit: brevi inter Appianum et comitem pace per Florentinos composita. Eodem anno, suspecta jam Italiae populis nimia mediolanensis reguli potentia, Florentini, ut se se adversus eam valido aliquo munimento firmarent, ad ineundum cum Carolo Francorum rege foedus animum adje-

cere. quod consilium cum per oratores suos Thomam Albicium, et Bonaccursum Pittum senatui significassent, orassentque ut tamquam veteres florentinae reipublicae socii eidem adscribi vellent: patres, Nicolao Sbarra decemvirorum principe referente, ob utriusque civitatis veterem coniurationem, novaque Florentinorum pisano bello in rempublicam merita, eorum postulatis annuere. foedus in quinquennium cum rege ictum; cui praeter Lucenses, Florentinosque illius auctores, ferrariensis et mantuanus reguli, praeterea patavinus, et ariminensis tyranni adscripti, iis legibus ut eosdem amicos inimicosque haberent. si bellum alicui sociorum inferretur, regiae stirpis ducem cum exercitu rex in auxilium submitteret. bello capta regii arbitrii essent: certis quibusdam oppidis exceptis, quae, si in manus foederatorum venirent, mantuano ac ferrariensi regulis, tyrannoque patavino redderentur. Genua in regis ditionem concederet. Idem rex Etruria prorsus abstineret. Haec eo anno domi, militiaeque gesta.

Initio sequentis anni (1) Lazario Guinisio Francisci filio decemvirorum principe comitia

(1) Ann. 1397.

habita; magistratusque in biennium designati. cumque ob civiles discordias pluribus honestis civibus in exilium pulsis, optimatum inopia civitas laboraret, nec omnia senatorum loca expleri possent, S. C. factum ut in legendo senatu XLV. ex singulis tribubus crearentur, cum LX. antea consuevissent. veniam quoque praeteritorum postulante Opizo, patres clementia in supplicem utendum rati, pacem cum eo caeterisque Frinianae regionis dynastis sanxere: inque eam rem missus cum potestate Leonardus Massensis. Petro etiam Gentilio principe decretum, ut singulorum civium bona describerentur: gravi poena in eos constituta, qui aliquid occultassent. creatique censendis hujusmodi bonis triumviri Joannes Mingogius, Petrus Gentilius princeps, et Bartholomaeus Balbanus. Longe magis hoc anno militaris rei cura patres exercuit, plena armorum Etruria; Appianoque et sua sponte, et exulum instinctu Lucensibus gravi. Injecerat mediolanensi regulo ingentem curam tuscarum urbium, regulorumque caeterae Italiae foedus cum rege ictum. vexandisque Florentinis, quos haud dubie ejus rei auctores existimabat, si quid contra se moveretur, juvandi Appiani praetextu magnum copiarum numerum ex Insubria Pisas submiserat: parum etiam aequus Lucensibus,

ob negatum Sabello iter. Studebat Insubro Appianus. Florentinisque jamdudum Pisarum dominationi imminentibus, eo se subsidio firmaverat. Castruccii exemplo arcanum imperii edoctus, qui in eam potentiam qua opes famamque magnorum regum aequaverat, regulorum Insubriae amicitia crevisset. Spe etiam eadem ope obtinendi Lucae dominatum, cum magni ejus principis interesset, finitima aliqua potentia Florentinorum animos coerceri. Itaque Pisis eodem tempore cum suis copiis Otho Bontertius, Broila, Joannes Barbianus, Cecolinus perusinus, Principalles mirandulanus latronum duces erant. quibus praecipuam belli contra Lucenses Florentinosque facem Nicolaum Diversium, quem Nicoletum appellabant, Luca exulantem regulus adjunxerat: patriae iratum, et nullam utrique populo nocendi occasionem praetermissurum. non modicum terroris tantus armorum apparatus patribus intulerat: non satis ad obsistendum paratis: cum praesertim primus belli turbo in eos se velut in propinquo exoneraturus esset. Itaque ad sociorum fidem conversi, a Florentinis ac Bononiensibus auxilia petivere. et jam Barbianus lucensi populo, ob illatam ipsi cladem, pridem iratus: simulque alieno sumptu alendis per hiemem militibus, in lucensem agrum ut in hiberna trans-

gressus, quamquam contra foedus cum eo in sex menses ictum, cujus nondum tempus exierat, praedas, captivosque prae se agebat. capto etiam Stephano Podio, quem senatus Pisas ad expostulandas injurias miserant, crure insuper inter capiendi tumultum fracto, quod illi ad libertatem saluti fuit. quippe magno auri pondere, si incolumis esset, redimendum; debilem, et futurum oneri gratis dimisere. Vix Barbianus ab injuriis quieverat, reductis in proxima Aesari loca militibus. cum Appiani, et exulis Nicoleti permissu latronum copiae lucensem agrum invasere: ducibus Carolo Rongo, et Antonio camajorensi, cum alia exulum manu. Cumque cuncta passim depopulando Marliam Laminarimque pervenissent, castra ibi communivere: unde in subiectos pagos crebrae excursiones: non impune tamen, agrestibus vi manuque sua defendentibus. Inde Morianum usque progressi, continentem ponti vicum subiecto igne incendunt: paucisque post diebus castris inde motis, valloque incenso, cunctisque circa igne ferroque vastatis ad D. Quirici pontem venere. Sed eo a nostris occupato, hostes navigio potiti, peditem in alteram ripam exposuere, equitibus vado transire ausis. Sed flumine hibernis aquis tumido, cum, impetu rapiente, nec moderari habenis, nec regere equos possent, plures gur-

gitibus hausti : nostrorum interea copiis, quae subinde ex urbe agroque confluebant, in ripa fluminis stantibus, ut quibus undae pepercissent, in terram egressos exciperent. Ibi atrox pugna coorta : cumque hostes ancipiti malo deprehensi. quippe hinc armati, inde flumen urgebat, labare inciperent; milites qui aut in medio flumine, aut in adversa ripa stabant, suos clamore et tubarum cantu ad pugnam incendebant; illum subinde variando, prout sui nostrique laborarent; jamque inclinata hostium acies erat, cum Paulus Ursinus, Broila, et Octo Bontertius, suorum periculo moti, actis habenis semet in flumen praecipitantes, felici temeritate in alteram ripam evasere. eorum praesentia acies restituta, nostrorumque aliquot repulsi vulneratique : donec signo receptui dato dirempta pugna, nostri in urbem, hostes Morianum retro concessere. ubi, angustis viarum callibus occupatis, pagos villasque circumiectas. ferro flammisque depopulati, ingenti praeda potiti sunt : nonnullis caesis, pluribus captis. Ea clade pagi Aquileja, Turris, Monscatinellus cum arce jugo imposita direpti, et incensi : invalida agresti turba, et incondita adversus veteranos, et militiae assuetos, nec ullo genere armorum pari ; cum ex una parte cataphracti equites loricatique cum pilis ingen-

tibus; ex altera tumultuaria agricolarum manus cum fustibus sparisque consisteret. vix tunc externo milite in quo nervi roburque belli, quantum ad ipsam tuendam satis esset, instructa civitate, morantibusque sociorum auxiliis quae tandem ad IV. et amplius equitum millia a Florentinis ac Bononiensibus supervenere: quorum fama hostes perterriti, non expectato eorum adventu onusti praeda in pisanum agrum camposque Aesari adiectos recessere. Sociorum auxilio jam validis patribus ea mens erat, ut domesticis armis junctis pisanus ager invaderetur, quo paria hostibus fierent. Sed nulla ratione id auxiliorum ducibus persuaderi potuit: asserentibus se ad tuendos eorum fines, non ad alienos invadendos advenisse. itaque nihil moti, tot pagorum villarumque ruinis, quarum disjecta et ambusta vestigia in conspectu erant, graves amicis quibus juvandis venerant; spectatores cladis, cujus ultores esse debuerant, stativis ad Subgromineum positis consedere. Sed populi lucensis bono factum, ut qui sero advenerant, mature proficiscerentur. nam Saminiati rebus per Benedictum Mangiadorum, e primoribus oppidi motis, occiso Florentinorum praefecto, in gratiam Appiani, et mediolanensis reguli cum quibus clam sentiebat, revocati a Florentinis ac Bononiensibus missi equites,

rempublicam levavere. Sed paulo post Insubrum copiis in florentinum agrum trangressis, cunctaque ferro flammisque, ut in lucensi fecerant, populantibus; Florentini, ut proquinqua urbi loca tuerentur, longinqua deserere coacti a Lucensibus postulavere, ut milites in Saminiati praesidium mitterent. qui quamquam veteribus damnis nondum refecti, futura metuerent, peditum cohortem cum centurione in ejus loci praesidium misere. qui paulo post domum opportune remissi subsidio fuere, Pisanis hostiliter in lucensi agro cuncta vastantibus. quippe Castrumvetus non satis valido praesidio firmatum aggressi; cum oppidani retineri locum posse non satis fiderent, ob idque magna ex parte fuga oppidum deseruissent, eo potiti sunt: iis qui remanserant, oppugnatorum impetum aliquandiu obsistendo remoratis. nec multo post direptum incensumque. Eadem passi Collenses, in quos tanta rabie saevitum, ut ne unam quidem domum stantem hostes reliquerint. Paria quoque in Palajolam ausi, ubi cunctas Guinisiorum villas ante direptas, flammis consumpsere. Ea clade nunciata, patres ad coercendam hostium insolentiam copias submisere. proximis pagis vallo fossaque, quaeque alia ad prohibendas excursiones valent, munitis. Florentini quoque hastatorum turmam in subsi-

dium misere: unde rariores hostium excursus: et, si quando tentarent, a nostris excepti haud ferebant impune. Sed patres tueri sua minime contentos, justus in Appianum, tam acerbum infensumque lucensi rei hostem, ultionis dolor stimulabat. Quare et ipsi pisanum agrum invadentes, peditem equitemque in tres partes divisere: ita ut altera peditum acies mediterraneo itinere Filectorum; equitatus ea quae ad mare est via, pergeret, pedestribusque copiis sub oppidum, cui S. Maria ad Castellum nomen, jungeretur. altera peditum manus ad castrum Passarinum ire jussa, ut Librafactae incolas contineret, quominus Pisanis auxilium ferre possent. Sed optimum consilium, ut plerumque solet, fortuna destituit. Nam cum prima peditum acies ad condictum locum pervenisset, ibique in insidiis locatos equites opperiretur; forte accidit ut lucensis equitatus, superato jam Viaregio, a longe venientem in equis hominum multitudinem conspicatus, per errorem hostiles copias universas adesse suspicaretur. quibus cum se impares nostri judicarent, metu omnia in majus augente, non explorato an satis justae timendi causae subessent, universi, effusis habenis, fugam arripiunt. Cognitum deinde est legationem eam fuisse. comitumque, et impedimentorum apparatum, majorem quam pro

numero speciem profuisse. caeterum non ultra LX. viros in equis extitisse, adversus hastatorum turbam invalidam manum, praedaeque potius et gaudio, quam terrori futuram, si nostri sani fuissent. Pedites usque ad vesperam in insidiis morati, quoniam ita imperatum erat, ut in equitum adventum occulti subsisterent, cum inclinata jam die adesse neminem cernerent, erumpendi consilium capiunt, seseque in Pisanos effundunt. qui inopinato nostrorum impetu perculsi, fusi fugatique in proximum s. Mariae oppidum se clausere. Lucenses cum captivis, praedaque domum reversi. ambigente nullo gloriam praedamque longe ampliorem futuram nisi equestrium copiarum inertia victoriam corrupisset. Multo felicius triduo post VI. Idus aprilis arma in Pisanos lata. Octingenti pedites sub noctem Luca profecti; quorum DC. Jacobus Vanninius lucensis, CC. praeerat Petrus Asciano ortus, qui id oppidum in potestatem lucensis populi tradendi partes sibi sumpserat. Vanninius cum majoribus copiis ad Montemmagnum, oppidum Eugenii III. Pont. Max. ortu nobile, iter instituit. quo cum sub auroram pervenisset, oppidanis improviso malo attonitis, nec obsistere ausis, ipsum oppidum captum direptumque, praeda omnis generis, captivique inter milites divisi. Petrus noctu Ascianum per-

venit : incolisque , ut erant , semisomnibus ad arma concurrentibus , prima nostrorum vis repulsa : promptissimo quoque utrinque caeso , aut vulnerato. Sed praevalente Lucensium acie, oppidum vi captum , ac diripiendum militi concessum , praeterque turrim incensum. Eodem modo in Butenses , qui ad laevam Arni ripam accolunt, saevitum . quorum oppidum immissa mille peditum manu , et ipsum direptum incensumque , praeda militi concessa. Qua clade moti, qui in Castri veteris praesidio erant (plerosque fuisse Butenses constat) et in ultionem accensi , oppidnm cui praesidebant diripiunt flammisque vastant; munitionibusque dirutis: nudum deformatumque deserunt. Rebus tam prospere succedentibus nostris animi creverant. Quare ne fortunae deesse viderentur, Montimagno , Asciano , Butique, intra paucos dies ea felicitate captis , Librafactam adjicere statuunt . itaque XV. Kal. maji primis se intendentibus tenebris, ad quingentos milites , solutis ordinibus , ne consilium ad hostes permaneret, eo iter instituunt: cunctaque in itinere diripiendo incendendoque, dilucescente jam die ad oppidnmperveniunt. Ibi pugna cum incolis , quique in praesidio erant coorta : oppidum quidem (tanta vis telorum a propugnatoribus in subeuntes ingerebantur) capi non potuit.Caeterum continentes vici flammis va-

stati, praedaeque hominum pecorumque actae. Cumque e speculis oppidani signum suis concurrendi in auxilium subinde darent, nostri veriti ne, hostium majore aliqua ingruente vi, reditu intercluderentur, in tutum se se recipere statuunt: retroque signis conversis in urbem regrediuntur. Sub ipsis Lucae moenibus consequuti Pisani, qui Vanne Appiani filio duce Pisis in auxilium laborantibus suis advenerant. Sed copiis, quae intra urbem erant in subsidium egressis in prata muris continentia, et ad pugnam instructis, parvis velitationibus utrinque concertatum: nonnullis caesis aut vulneratis, quibusdam etiam captis: majores temeritatis suae poenas juvene principe daturo, si nostris damni inferendi magis quam propulsandi animus fuisset. Sed Librafactae clades eo die dilata magis, quam discussa. quippe non multo post Lucensium copiis eo profectis, reliqua aedificia injectis flammis absumpta. Inde cum manu M. peditum, equitum XL. uno tempore Chuosam, Montemmagnum, Calciumque aggressi, omnia ruinis, ac incendiis vastavere. Constat Calcii ad sexcentas domos, instructas, ornatasque omnium rerum copia eo die conflagrasse. arx, cum diu circa eam pugnatum esset, obtineri non potuit. Victores cum captivis praedaque domum revertere. Occupaverant per

id bellum, furto magis quam justo praelio Pisani castellum, montis qui Lucam Pisasque aequatis spatiis interiacet, jugo impositum: praesidiisque, ac novis munimentis firmaverant. Lucenses successu elati, ad illud recipiendum, biduo a ruina trium oppidorum pergere statuunt. satis in eam rem visa mille peditum, LX. equitum acies, in duos praefectos Bartholomaeum Guinisium Francisci filium, et Joannem Sernicolaum divisa. Duces cum eo copiarum numero, noctu ex urbe profecti, sub lucem ad locum pervenere: dispositisque machinis tormentisque, turrim ex omni parte oppugnare instituunt. Qui inclusi intus erant, primum impetum sustinentes, egregie se tuebantur, simulque signo proposito, opem a suis implorabant. quare Lucenses maturandum rati, antequam hostium copiae adventarent, turrim a quatuor angulis excindere dolabris aggrediuntur. Propugnatores desperato subsidio, simulque impendentis ruinae periculo territi, certis legibus deditionem tentavere. Sed negantibus praefectis ullam spem salutis esse, nisi se lucensis populi misericordiae permitterent: simulque fabros ut maturarent urgentibus, instante jam ruina vexillum mediolanensis reguli, cujus nomine ab Appiano ea munitio tenebatur, dejiciunt, in ejusque locum populi lucensis vexillum reponunt, seque ac mu-

nitionem dedunt. Lucenses per hunc modum castello potiti, ne iterum ab hostibus occuparetur, ut coeperant, disturbare, ac solo aequare pergunt. Interim periculo suorum intellecto pisana acies Vanne Appiano duce in conspectu erat. cum quibusdam exclamantibus, satis excisa turri actum, deserendumque locum, nec se temere in incertum pugnae committendum; Sernicolaus e praefectis alter cum parte impedimentorum abire coepit: nec ullis Guinisii precibus pertinacia hominis flecti potuit, quominus abeundi consilium exequeretur. abeuntem equites sequuti: Guinisius cum pedite restitit, et animo et viribus hosti non inferior. Sed equitum praesidio nudati pedites, ut propinquam jam hostium aciem videre, tumultuari incipiunt; praefectumque salutis vitaeque admonitum, si obstinate perseverare tendat, deserturos minantur. Ea denunciatione victus Guinisius, a jugo paulatim in plana aciem deduxit. Pisani, obsistente nullo, montem a lucensibus desertum capiunt: recedentesque insequuti, tantum terroris jam perculsis injecere, ut velut lymphati, qua quemque suus pavor agebat, se praecipites darent. Multi in ea fuga caesi, plures capti, quorum plerique e primoribus civium erant: ingenti postmodum pretio redempti. quidam etiam, pisana crudelitate, auribus truncati,

aliis evulsi dentes, alii aliis cruciatibus torti; ut minus eis patiendum fuerit, si in barbaros incidissent: qui incolumes fuga evaserant, partim casu debilitati, partim vestibus vultuque spinis ac vepribus lacerato in urbem venere, Sernicolai pertinaciam incusantes, cujus culpa omnis ea clades acciderat. Pisani, praeter captivos, impedimentis omnique commeatu potiti: tormenta quoque ballistaeque, et alia oppugnandis muris in hostium potestatem venere. Nec multo post, simul ulciscendae hostium acerbitati, simul ignominiae abolendae, in pisanum agrum copiae submissae, quae populando passim, praedasque agendo, paria referebant. Majore belli mole munitio s. Vivianae urgebatur, cui oppugnandae mille quingenti pedites cum CL. equitum ala missi cum machinarum tormentorumque apparatu, ducibus Bartholomaeo Guinisio, et Christophoro Aretino; qui oppidum valide oppugnare aggressi, testudine praesertim muros quatiebant. Nec minus strenue propugnatores munia sua exequebantur: nitratum pulverem malleolosque pice ac oleo illitos, e muris in ballistas machinasque jaculando: praecipue in testudinem, unde major clades accipiebatur: ut prohiberi nequiverit quin concepto igne tota conflagraret. Nec propugnatorum modo virtus, sed qui Pisis in subsidium ad-

venerant, oppugnationem solvere. perseveratum tamen in ira est, inferendisque ac accipiendis mutuis belli offensionibus reliquum aestatis consumptum. tentata frustra inter utrumque populum concordia per Spinectam Malespinam Appiani socerum, ac reipublicae amicum. Nec tamen in tanta rerum suarum difficultate socialis fidei patres obliviscebantur. Nam cum Mantuanus jamdiu ab Insubrum regulo premeretur, frustraque expectarentur ex foedere Francorum auxilia, rege morbo implicito ex quo etiam mente motus est: foederatos Etruriae populos implorare coactus, a Lucensibus opem expetivit. Submisere patres, quantum domesticarum rerum angustiae patiebantur, centum hastatorum manum, cum Florentini quoque Philippum pisanum cum CCCXXV. hastatis submisissent. Cumque interim componendae inter regulos foederatosque populos discordiae Veneti partes suscepissent, conventus omnium gentium, quarum ea pax intererat, ad Cornelii Forum actus: quo Lucenses quoque Nicolaum e Podio oratorem cum mandatis misere. sed cum magnis concertationibus aliis super alias difficultatibus in dies exorientibus res traheretur, patres a spe pacis ad belli curas iterum versi legatum revocavere. Itaque Bernardonem latronum insignem ex Aquitania ducem, cui Florentini armorum

suorum imperium detulerant, accire placuit: unaque Paulum Ursinum et Joannem Columnam, alias Lucensibus infestos: qui erratico militiae generi assueti, ex utilitate amici aut hostes, qua lucri spes monstraretur, amorem aut odia transferebant. Ursinus Columnaque praesto cum suis adfuere. Bernardo aliquot turmas submisit, quae urbanis junctae mille trecentorum equitum haud spernendam manum explebant. cum his copiis Pisarum muris obequitatum. Nec tamen tanto apparatu, ultra velitationem, hostibus urbe egressis, processum: ex quibus aliquot cataphracti equites a nostris excepti. illud calamitosum, quod ex pisano agro turmis Lucam regredientibus oneratoque nimia multitudine D. Petri ponte, arcus ruina sua plures in flumen pertraxit: ex quibus quidam armis graves gurgitibus hausti periere. Majorem cladem Bernardo ipse cum exercitu Florentinorum, per novem continuos dies cuncta depopulando incendendoque, pisanis intulit: et quamquam a pervicaci homine, nulla conditione impetrari potuisset, ut nostris arma conjungeret; unoque consilio lucensis, florentinusque exercitus communem hostem ulcisceretur: tamen etiam aliena manu vindicta placebat. Recedente cum suis Bernardone, Appianus conceptas ex ea clade iras in proximos

Lucenses effudit: satis gnarus dimissis jam Ursino et Columna, tardisque semper Florentinorum auxiliis, non satis ad obsistendum paratos. Itaque septembri exeunte CCCC. equitibus cum D. peditum manu immissis, uno impetu magnam suburbani agri partem, pagos villasque depopulando, antequam succurri posset, ferro flammisque vastavit. Qua calamitate moti patres, ad sociorum animos stimulandos, Simonem Albertum et Stephanum Podium Florentiam oratores misere: simulque ad Bernardonem destinati Joannes Sernicolaus, et Janoctus centurio cohortis D. Georgii, quae parva appellabatur. Nec aliud ab eo impetratum, quam ut iterum Ursinum et Columnam se missurum polliceretur. qui cum Kal. octobris cum mille equitum manu ad urbem adfuissent, quae comparanda erant in tempus provisis, V. Non. octobris junctis urbanis equitum copiis, nec non binis latronum auxiliarium turmis, quarum utrique a D. Georgio nomen erat; magna praeterea eorum manu, qui praedando incendendoque, occupatis in pugna militibus, interea saevirent (quae rabies tunc animis erat) in pisanum agrum ultra Aesarem amnem processere. ibique a Vico, qui ponti proximus erat exorsi, cuncta passim vastando corrumpendoque pervagati, non arboribus,

non vineis parcendo, una strage omnia involvere. Itaque fumantibus late incendio villis, non longe a s. Mariae ad Castellum oppido, munitis castris sub vesperam, ea nocte quievere: frustra ad prohibendam cladem Vanne Appiani filio cum suis egresso. qui, ex labore per eum diem exhausto, subita valetudine correptus, magno Lucensium gaudio quatriduo inde expiravit. Nec minore parentis luctu, qui senex, et domesticis externisque odiis septus, in juvenem non minus manu quam consilio validum, spem omnem dominationis inclinaverat: Gerardo, qui supererat, jampridem ut impare spreto. Quare confectus dolore curisque, et in dies magis anxius, ea orbitate famam suam obsolefieri, animos inimicorum crescere, fortunamque suam nutare non falsus vates secum reputabat. et quamquam in omnem simulandi ac dissimulandi artem compositus; non ita interdum custodito dolore, quin ex conscientia voces interdum miseriam suam, desperationemque retinendae dominationis querentis, imprudenti exciderent. quae a domesticis exceptae, in eamque sententiam detortae, quasi mediolanensi regulo Pisas tradere meditaretur; ad eumdem regulum per Nicoletum Diversium, alias itineris causas fingentem, improvisa in Insubriam profectione delatae

fuere: eadem Silvio Maggiolino affirmante, qui Appiani legatus apud regulum erat. Quare is haud ultra differendum ratus, dum ea mens homini caleret, Paulum Sabellum cum CCC. equitibus, ac praeterea Nicolaum Pallavicinum, ipsumque Nicoletum Pisas destinavit, ut rem cum Appiano transigerent. Militaribus viris comes datus Philippus quidam minorita, humani divinique juris sciens, ut specioso religionis praetextu momentum cupiditati accederet. Horum adventus non modicam patribus injecerat curam, ne in suam perniciem is copiarum praefectorumque numerus (quippe supra duo equitum millia Pisis erant) convenisset. Nicoleto praecipue et Sabello lucensi populo iratis. Quare Florentiam ad opem ex foedere poscendam statim missum, eodem quo alias fructu; Florentinis per ambages morasque cuncta ducentibus. Quare praesentium tutissimum visum itinerum aditus munitionibus firmare, ne liber hostibus excursus esset, nostrisque colligendi se, expediendique spatium daretur. Itaque turris Gnami novis operibus munita: agger vallumque ad Auserem extructum: castellumque ponti D. Petri impositum. Et quoniam in tot belli usus aerarium exhaustum erat, datum negocium XXX. viris denis ex quaque tribu, bona civium censendi: ex

eoque censu tributum indictum, quo publica inopia levaretur. Alia etiam non minor cura ex irarum caelestium significatione, patres angebat. Quippe non in Gallia modo Avenio ac Monspessulanus, sed Venetiae quoque Patavinumque, et quae ex propinquo terrebat, Liguria pestilentia vastabatur. cum tamen populorum inter se rabies in dies glisceret, nec exposcendae superum paci mores emendarentur.

Inierat jam annus 1398. cum reguli mediolanensis procuratores ab eo Pisas missi, assumptis in societatem consilii per Petrum Rapondum Lucensium exulem Ranerio Tacco et Silvio, quem supra memoravimus, saepius agendae rei ordinem consultando. in eam tandem sententiam convenere, audacter cum Appiano agendum, nec per ambages, sed objecta nominis majestate obruendum, ne consilia expedire in ea perturbatione possit. Itaque III. Non. januarii Pallavicinus, Diversius, Sabellusque cum eo quem dixi monacho, nocturno tempore de industria captato, ut imparatum opprimerent, Appianum adeunt: cumque magnifice verbis extulissent, quemadmodum regulus ut tutam ei Pisarum dominationem praestaret, nulli aut operae aut sumptui parsisset, tot ducibus, tot auxiliis adversus hostes submissis; eo tandem devenere ut dicerent, ipsum

jam senem et invalidum, insuper orbitate filii, qui praecipuum dominationis subsidium esset, afflictum. eum qui superesset, illi fastigio haud quaquam parem. proinde fortunam ipsius in lubrico esse. Si Pisarum imperium futurum alterius sit, neminem regulo digniorem, in cujus humeros deponeret onus, quod jam substinere ipse non posset. mansuram ipsi usque ad supremum vitae fortunam: reguloque ut posteri ipsius honestissimi civitatis essent, curae futurum. petere itaque ut reguli nomine pisanae arci praesidium imponi pateretur: idemque Liburni, ac Populonii arcibus fieret. denique ut delato per urbem reguli vexillo, ei tamquam domino acclamaretur. Ea denunciatione tamquam fulmine ictum, defixo in terram vultu, paulisper attonito similem substitisse Appianum ferunt: mox cum se collegisset sublato ore interrogasse, ipsine ex sententia sua, an reguli voluntate ea dixissent? Affirmantibusque reguli imperio omnia agi: tum ille ad notas sibi artes confugiens in simulationem compositus: « ego vero, inquit, in-
» gratissimus mortalium sim, si amplitudinem
» omnem debere mediolanensi regulo inficier.
» illum ego auctorem parentemque fortunae
» meae agnosco: et utinam, quemadmodum
» confiteri per me beneficium possum, ita

» et arbitrii mei esset vicem rependere. nunc » cum Pisarum civitas, arces, oppida, pisani » populi sint, potestatis meae non est incon» sulto eo quicquam statuere ». Isque tandem sermonis exitus fuit, se postero die cum tribunis populi acturum, relaturumque ad ipsos quid super ea re consilii cepissent. Sed cum reguli procuratores urgerent, adjicerentque scire se eam rem arbitrii ipsius esse, nec alterius sententiam expectandam: contra ipse, speciosa populi reique publicae nomina obtenderet: tum illi velut indignantes denunciant, facturum ipsum alieno suo tempore, quod opportune nunc facere recusasset. Ab eo colloquio digressi reguli procuratores, suspensis animis in sua concessere cum contra ipsorum opinionem res processissent. tunc demum intellecto aut nunquam id tentandum, aut res ita comparandas, ut cogere possent. Sed spem faciebat, unam tantum noctem ad deliberandum Appiano datam, nec ei multum momenti, et parum ipsis incommodi allaturam, cum quo homine res esset ignaris. Quippe callidus senex, et annis et longo rerum usu omnem fallendi artem edoctus, cupidine insuper retinendae dominationis, quam nemo qui vir sit dimittit unquam nisi coactus: illis digredientibus omnia consilia versare coepit, quemadmodum fortu-

nam suam firmaret, eos opprimeret. Vocatis igitur ad se amicis rem omnem aperit, de sententia quorum mittit Gerardum filium, qui urbanos milites arma capere jubeat: monetque per cursores, qui in agris erant praefectos, ut quammaxima celeritate, ante lucem cum suis cohortibus ad urbem praesto sint. quae ubi in promptu esse cognovit, orto jam sole Gerardum cum universa equitum peditumque multitudine per urbem discurrere jubet: faustaque ipsi et pisano populo, mortem caedemque Sabello ut hosti acclamare: tum e turri palatii signum dari quo populus ad arma evocaretur. Perculsus improviso malo Sabellus arma suos capere jusserat, seque ad obsistendum comparaverat: sed haud quaquam Appiani copiis par, pugna commissa multisque suorum vulneratis ac occisis, ipse tribus vulneribus saucius in hostium potestatem venit: delatusque in arcem et in custodia habitus. militum qui resistere ausi fuerant obtruncati; qui vero se se dedidere, demptis armis equisque, cum ignominia dimissi: quos ad DCC. fuisse memoriae proditum est. Per eumdem tumultum capti quoque Pallavicinus, monachus et cum filio Diversius, ac in eamdem custodiam traditi. et hic quidem tam securus, ut ab Appiano ad eum comprehendendum missi,

jacentem in lecto oppresserint. cognito deinde ejusdem consilii conscios fuisse Ranerium Taccum, Silvium Maggiolinum, et Malpilium ac Petrum Rapondos, eos quoque Appianus comprehendi, et in vincula duci jussit. quaestionibus severe habitis per tormenta Sabelli scribae confessio extorta: ita rem inter conscios dispositam, ut traditis ab Appiano arcibus, ipse statim cum filio obtruncaretur; Tacco in praemium navatae operae ora maritima; Rapondis, alteri Erae, alteri subjectae Aesari valles traderentur. His cognitis patres in eam spem venerant, posse Appianum regulo ob recentem injuriam iratum ab eo divelli, et ad pacis consilia traduci. Itaque ad Florentinos Spinectamque Appiani socerum, bis ultro pacis sequestrem, literas dedere. quibus acceptis Malespina continuo Pisas, inde Appiani voluntate Lucam advolavit: ubi Guinisiorum conventu acto de pacis conditionibus ultro citroque agitatum: nec contenti patres Florentinos per literas sollicitasse, Lazarium Guinisium, cujus arbitrio respublica regebatur, Florentiam misere. cujus suasu Nicolaus Uzanensis, clari tunc in ea republica nominis, Lucam orator missus, ut ex loco propinquiore cuncta commodius agerentur. Praebebat faciles pacis consiliis aures in speciem Appianus,

suspecto adhuc Insubrum regulo: et nondum reconciliata cum eo gratia, (quod ut re postea compertum est, animo agitabat) non expedire utriusque populi odia, rebus suis existimabat. Itaque Spinectae suasu Pisas lucensis reipublicae nomine Dominicus Lupardus et Nicolaus Honestus; florentinae Uzanensis, oratores ivere: tutum fore legatis iter stationemque publica fide interposita. nec tamen, cum utrinque pluries disceptatum foret: legesque aliae nunc additae, nunc rejectae, quicquam promotum. Donec mentibus omnium in falsum gaudium, pacis expectatione conjectis, Appianus tandem professus est: cum pax publice, omnium gentium Italicarum conventu, Venetiis ageretur, haud aequum videri, quicquam ab ipsis privatim ea de re decerni. atque ita callidi senis artibus uterque populus elusus, rebus infectis discessere. Quippe diu apud se agitato consilio, in ea tandem sententia Appianus haeserat; connivendum sibi, ac dissimulandam injuriam: laborandumque ut credere putaretur, Sabellum Diversiumque inscio regulo illa ausos. in summa, omni spe adnitendum, ut eum sibi amicum retineret. quod si effecisset, nihil sibi a Florentinis, aut Lucensibus admodum metuendum. Sin vero infensum habuisset, tres pro uno hostes habendos. nil in

liberis populis diuturnum. ubi nudatum illum eo praesidio Florentini, ac Lucenses vidissent, facile in ipsius perniciem cum regulo consensuros. Itaque hanc in vulgus edi famam curavit, Sabellum Diversiumque suis conatibus reguli auctoritatem falso obtendisse. fovebatque eam Insuber, fructumque bene gestae rei solus habiturus, infamiam infelicis conatus haud aegre in alios transferebat. Sed viros nobiles periculum capitis ipsius causa adire, in carcere ac vinculis esse, carnificem expectare, iniquum videbatur. itaque stimulante conscientia, cui non tam facile quam aliis imponimus, cum ad Appianum in fide continendum, Novariensem antistitem et Antonium Porrum, qui illi ab arcanis consiliis erat, Pisas destinasset; mandata quoque de Sabello et Rapondis palam addiderat. Diversium omnis rei artificem, ut famae serviret, dissimulantius defendebat: quippe aperte pro eo adniti suspiciosum: caeteros ut ab eo deceptos palam tueri, regium credebat. quare Appianus, quamquam gravate, Rapondos Zaccumque, ac Silvium legatorum precibus remisit: Zacco VII. millium, Silvio M. Rapondis XX. millium aureorum multa irrogata. quam nisi infra duorum mensium spatium persolvissent, iterum capitali supplicio obnoxii forent. Clementer tamen

cum Rapondis egit: in amicorum, ac reguli praecipue gratiam, dimidia imperatae pecuniae parte remissa. illud acerbe. quod populo spectante eos in forum duci catenis constrictos, ostentarique securim et carnificem jussit; recitata per praeconem sententia, ac iterum in custodiam reduci, donec summa persoluta in exilium abire. Sabellum percuratis vulneribus, post duos menses dimisit. Pallavicinum celerius absolvit, habitusque ei honos tamquam reguli ministro: a quo et Gerardus Appiani filius equestri dignitate auctus: quem etiam, rebus suis confirmandis, pisani populi ducem creari pater curavit. in Diversio liberando, quem tortum damnatumque morti addixerat, denunciata etiam novissimae necessitatis hora, magis haesitatum. ferunt Appianum, cum quaestioni interesset, quaesisse ex eo quonam merito suo, tanto in honore habitus in necem ipsius conspirasset: Diversioque factum negante, divumque ac hominum fidem appellante, literas ejus a se interceptas coram recitari per ejus filium, ut acerbius vulneraret, jussisse: ac tum Diversium veris victum, accidentemque ad genua, se id principis sui amore fecisse confessum, veniamque supplicem poposcisse. morti deinde exemptus est, L. millium aureorum multa irrogata: quam deinde ad XXII. millia

redactam Nicoletus per Joannem Grazzolinum mensarium Appiano perscripsit. quamquam alii X. millibus tantum tradunt; eamque summam a mediolanensi regulo repraesentatam. atque ita demum junio mense cum Petro Ra pondo in exilium pulsus. qui Genuam usque maritimo itinere, inde in Insubriam terrestri perrexere, cum Lucenses tutum per fines suos iter negassent: proditores alienae reipublicae, perturbatores suae.

Interea oratores gentium regulorumque foederatorum, una cum reguli mediolanensis legatis, Venetiis agebant. nec spes ulla concordiae monstrabatur, regulo arbitrium veneti senatus recusante. Quare iterum renovare foedus visum, ne si arma disjungerentur, potentioris praeda singuli evaderent. Patres ei rei assensere, quamquam satis gnari, id foedus in utilitatem tantum Florentinorum cessurum: nec ad se quicquam nisi incommoda et sumptus; et in rebus asperis spes, et moras perventurum. Haec martio mense acta; cum tandem V. Idus maii decennales induciae pactae: reguli oratoribus ex una parte, ex altera Florentinorum, Lucensium, Bononiensium, regulorumque mantuani ac ferrariensis, nec non Patavinorum tyranni aliorumque, qui foederi adscripti erant legatis assentientibus. Quod ubi

Lucam nunciatum est, tantum repente gaudium animos incessit, ut non contenti festis, ignibus, quaeque alia significandae laetitiae vulgo fieri solent, supplicationes etiam ad divorum templa arasque indictae sint. nec in urbe solum; sed etiam in agro, ac oppidis, ut in quibusque ea fama vulgabatur. Quippe tot annorum clades, tot direptiones agrorum, tot villarum oppidorumque incendia, qualemcumque quietem, ut in corporibus longa valetudine affectis, commendabant. Cumulavit hoc gaudium Jacobi Appiani mors, qui senio confectus tandem VIII. Kal. septembris vivere desiit. brevi ac turbido principatu, alios vexando, cladesque invicem accipiendo: finitimis gravis, invisus suis, parum sceleris sui fructu laetatus. Immortuus est odio Lucensium, quos vivens adeo acerbe habuerat. quippe accitu ipsius, novissimo morbo jam impliciti, contra induciarum leges, Broila latronum dux in lucensem agrum venisse credebatur; ferrum flammasque minaciter denunciando, nisi V. aureorum millia repraesentarentur. quorum tria millia mutuo sibi dari, reliqua dono mitti postulabat. cujus postulatis a senatu rejectis, satis explorato nihil eum gravius ausurum, quod nominatim induciarum legibus cautum erat, ne regulus mediolanensis, cujus stipen-

diis Broila militabat, vexandae Etruriae arma immitteret: vir ferox sua spe dejectus, in Montis Ignosi (oppidum id lucensis agri lunensi provinciae finitimum) campestribus, cum ad XL. domos incendisset, Pisas ad Appianum se recepit. Appiani mors usque ad diem nonarum septembrium occultata, donec provisis, quae firmandae dominationi tempus monebat, simul excessisse Jacobum, ac potiri rerum Gerardum eadem fama vulgavit. Funus insigni pompa actum: sed quale tyrannorum esse solet, nullius lacrymis. A funere statim novus princeps equo vectus per urbem discurrit, inter faustas multitudinis voces, vitam salutemque acclamantium: cum omnes perire cuperent. Sed gladiis septo necesse erat aut plaudere, aut occidi. Eadem simulatione a senatu missi, qui eum de patris morte consolarentur, novumque principatum ipsi gratularentur, Thomas Ghivizanus et Guido Honestus: qui benigne excepti, et cum magnis pollicitationibus dimissi. quae vera ne an ficta, brevis ipsius principatus, et translata mox in mediolanensem regulum dominatio, in suspenso reliquit. Eo anno Ugutio Cortonensium dynasta Lucam venit una cum uxore, cui ob valetudinem Corsenae aquas medici praescripserant. Fuerat is amicus populi lucensis, ut qui

ex filia Francisci Castracanii originem duceret. Exceptus est in aedibus Guinisiorum, nullo erga eum officii genere omisso. discedentique munera publice data. Eodem anno praeter pestilentis morbi vim, quae per Galliam Italiamque in dies serpebat, alia caelestium irarum indicia patuere. interque ea maxime memorabilis turbo, qui junio mense tam violenter Romae incubuit, ut tertiam aedificiorum partem, sublatis in aera tegulis nudaverit; dejecta etiam Capitolii parte: quibus ruinis ad mille hominum periere. Eadem venti in Etruria quoque debacchata vis est; tanto impetu ac furore, ut senes adesse supremum orbi diem plerique ominarentur. Lucae pepercit, cum per Elsae Arnoque valles adjectas, cuncta in sublime rapiendo lacerandoque procella desaevisset. Sed ex eo quod sequenti anno (1) contigit, palam factum est, caeleste numen non omnino mortalium rerum curam abjecisse. Quippe ejus instinctu, tanta repente animos consternatio ubique terrarum incessit, ut passim, velut ex condicto, Christi e cruce pendentis sublata effigie, multa hominum millia, omnis sexus, omnis aetatis, linea veste amicta,

---

(1) An. 1399.

regiones urbesque circuirent, pacem ac misericordiam miserabili voce acclamando: quocumque accederent, incolis novo quodam horrore attonitis, et in similem modum pie furentibus. conciliabat venerationem euntibus vestitus insolens, facies demissae, et ad omnem modestiam compositae; tum sanctimonia et castitas morum, vulgaris cibus, somnus humi plerumque et sub dio captus, nulla rerum humanarum cura: unde eorum opera discordiae placatae, animi ex longo dissidio in amicitiam revocati, tantaque repente mutatio morum facta, ut alii omnino homines extitisse subito viderentur: nullo tam obstinato ad misericordiam animo, cui miserabilis illa species, lacrymas non exciret. Nec privatim modo, sed etiam veluti publico generis humani consensu, gentium nationumque odia remissa. Quippe cum hujusmodi coetus ex una in aliam civitatem migrarent, nullo respectu, amicine an hostes, comiter excipiebantur: ne mortis quidem metu, pestilentia tunc praecipue grassante, quin tutus iis liberque transitus esset, prohibere auso. adeo ad caetera omnia stupentes, unus pietatis ac religionis sensus occuparat. Unde prima in terris origo ejus motus, in obscuro mansit. aliis ex Hispania, quibusdam e Britannia Germaniaque, aut etiam

ex Gallia ortum habuisse referentibus. Illud exploratum est, ex transalpinis regionibus eas hominum catervas adventasse, perque Galliam Cisalpinam Liguriamque Lucam augusto mense accessisse. Eorum adventu, tanta repente animorum commotio extitit, ut certatim viri, feminae, nullo aut ordinis aut aetatis discrimine, ipsique etiam sacerdotes ad albas vestes currerent. frustra reipublicae gubernatoribus, quibus novi illi coetus suspicionem injecerant, ab eo impetu revocare conatis. Adeo ut ad tria albatorum millia primi Tuscorum Lucenses. Pistorium, inde Florentiam accesserint ut omnes florentinarum rerum scriptores memoriae prodidere: praecipue D. Antoninus, Leonardusque aretinus, qui rem oculis praesentes hausere. In eo itinere omnia quae a primis auctoribus, eadem felicitate a nostris peracta. passim in oscula amplexusque ruentibus, quibus odia simultatesque inexpiabiles essent. nec repentinae morborum curationes, aliaque humanam opem excedentia defuere: unde major iis honos, et tamquam e caelo missis veneratio. Domum reversi sacram effigiem qua pro vexillo usi erant, in aede D. Benedicti statuere. quae ad haec usque tempora, pacis securitatisque publicae pignus ibidem colitur: nunquam frustra, seu pestilentibus morbis, sive discordiis

civilibus, sive aeris inclementia urbe laborante, numinum irae objecta. Lucensium exemplo caeteri Etruriae populi, finitimas urbes lustrando, eodem pari fructu tentavere. Et quidem, animo reputantibus, quot clades ex hominum sceleratorum sodalitatibus Italiae acciderant, pios hos coetus, novumque coitionis genus, non ad ferro flammisque vastandas, sed sanctitate morum stabiliendas urbes, in dies magis divino consilio profectum liquebat. Adjecitque ei opinioni momentum insequuta mox per Etruriam pestilentia, seu corrupti caeli gravitate, seu vulgatis exterarum gentium colluvione morbis: quasi ea mens caelesti providentia injecta foret mortalibus; quo expiatos labe criminum animos, instans novissimae necessitatis articulus inveniret. Haec latius prosequutus sum, quo fessum narrandi tot latrocinia, tot clades taedio stylum, pietatis commemoratione reficerem. Nunc a divinis ad humana revertamur.

Initio anni Lazario Guinisio Francisci filio Decemvirorum III. Principe comitia habita, designatique in biennium magistratus: nempe collegia Decemvirorum, Ductorum et Praefectorum palatii, quod tunc civitatis regimen erat. Et quod ad nostras res attinet, quietae satis erant, finitis Appiani morte injuriis,

pisanae adhuc nutabant. Jam fine superioris anni, nullo satis certo auctore, fama in vulgus manaverat, juvenem Appianum Florentinorum cupiditates veritum, (quippe jamdiu Pisarum dominationi imminentibus, nec unquam quieturis, donec voti compotes fierent) desperatione retinendae dominationis inisse consilium Pisas mediolanensi regulo tradendi; ingenti CC. millium aureorum summa, tamquam auctionis mercede. id arcanum, seu parum fido ministeriorum silentio tectum; sive quod animi originis suae memores futura interdum divinent; ita Pisanorum mentes commovit, ut primores apud quos aliqua reipublicae species sub tyrannis quoque manserat, Gerardum adirent, audacter appellantes, siquidem vera essent quae vulgo jactarentur, ut ipsis potius quam extero homini urbem majore compendio remitteret. Perculsus ea denunciatione Appianus, sive nondum ea sententia animo sederat; sive coepta quidem, sed nondum perfecta res erat, ad paternas artes conversus, mirari se, ait, prudentes viros incertum rumorem pro vero hausisse: bonamque spem habere jussos comiter dimisit. Nec multo post in custodiam traditos, quaestionibusque habitis in exilium expulit, tamquam reipublicae statum fictis rumoribus convellerent. eique famae opprimendae,

tota ea nocte, quae XIII. Kal. februarii sequuta est, cum omnibus peditum equitumque copiis per urbem discurrit, cuncta laeta vociferatione implendo. Inde sub lucis ortum ad palatium perrexit, vocatisque rectoribus: « quandoquidem, inquit, nimis temere vulgatum » de me rumorem credidistis, haud amplius » in eo errore versari vos sinam. Scitote igitur » me hactenus ut principem civitatis egisse, » dominum in posterum futurum ». Secundum haec, regimen urbis ejurare coactos, privatos domum dimisit, caeteris quoque magistratibus abrogatis, omnique alia reipublicae specie sublata. nemine repugnare auso, cum adversus querimonias ac verba detrectantium, pila et gladii consisterent. Quibus peractis, iterum per urbem decurrit, sceptrum manu praeferens, cunctis tamquam domino passim acclamantibus. atque inde, non in privatam domum, sed in palatium divertit. firmandaeque dominationi, veteres milites praefectosque exauctoravit, praesidia arcibus detraxit, novaque ac sibi fida imposuit, affluente in dies ad ejus tutelam ex Insubria militum manu: ita ut pridie Idus februarii ad V. millia equitum a regulo mediolanensi submissa, ultra ingentem peditum numerum, Pisis essent. Biduo post literas nunciosque ad senatum misit, satis comiter

scriptas, quibus patres novae dominationis certiores faciebat, bonumque ac fidelem amicum pollicebatur. Movit oculos nuncius Lucam ingressus, oleae ramum manu praeferens, benigneque exceptus, ac magnifice donatus Pisas rediit. abeuntem sequuti oratores, qui novum principatum Gerardo gratularentur, ex primoribus patrum Thomas Ghivizanus et Nicolaus Podius; qui magno honore excepti, donisque cumulati, in urbem redeuntes, animos bona spe implevere: pro infenso et acerbo hoste, clementem comemque socium lucensi populo ortum affirmantes. Sed ea omnia composita erant in speciem, ne Pisani, quibus jam suboluerat, consilium ejus plane sentirent. Quare cunctis jam paratis, plenaque externorum militum civitate, ut nil contra moveri posset, tandem Antonio Porro, reguli nomine recipienti, arcem urbemque pisanam, ejusque imperium tradidit, pretio CC. millium. Servata sibi posterisque suis Ilva insula, Populonio, Suvereto, Scaprisque, maritimae Etruriae oppidis pisanae dominationi subjectis: nec non Telamonis portu fodinisque ferri: quae in Appiana domo usque ad annum MDCIII. quo ea defecit, mansere. Porrus reguli nomine Pisarum imperio potitus, statim per nuncium literasque patres certiores fecit: quibus responderi placuit lucensem

populum ea re vehementer laetatum: nunciusque cum donis dimissus. Sed laetitia in aperto, sollicitudo in occulto erat: reputantibus pro tenui Pisarum domino, suorum externorumque odiis obsesso, potentem validumque principem finitimum habendum; adversus quem vis nulla satis firma, nisi jus fasque valuisset. Sed major florentinum populum cura angebat, cui veteres cum regulo causae: praecipue cum paulo post eo Senarum, Perusiique dominatione aucto, se tamquam indagine concludi paulatim cernerent: hinc terrarum, inde maris libero commeatu adempto. Quare Lucam alii atque alii oratores Florentia missi, ut in commune ea de re consilium caperetur: summaque eo redibat, ut florentini lucensisque populi nomine, de nova reguli dominatione, questum legati Venetias mitterentur. Quibus a senatu sapienti temperamento responsum, non esse e republica, nulla injuria lacessitos, tam validum principem habere hostem quam amicum malle. si quid secus accidisset, consilia ex tempore capturos. Atque ita cum medio responso dimissi legati. nec fieri aliter poterat, si senatus rempublicam salvam esse voluisset. Quippe regulo ob eam injuriam arma inferente, aut lucensibus foederatorum ope destitutis, omnis belli moles sustinenda, experta jam Florenti-

norum arte, socios in periculi tantum communionem vocantium: aut si pro rei magnitudine opem ferrent, ipsa praesidia, non minus quam hostes metuenda. nunquam defuturis potentiori causis, intra viscera cum armis haerenti: nota praesertim Florentinorum cupiditate, tamdiu finitimorum dominationi inhiantium. Quin ad occupandam reguli gratiam Guido Manfredus, actis senatus in tabulas referendis scriba maximus, idemque sapientia ac facundia ea tempestate illustris, orator ad eum missus; qui lucensis populi nomine novam dominationem gratularetur, remque publicam commendaret. « Populum lucensem ipsius amplitudini favere, ejusque causa omnia cupere. » meritoque in eam spem venire, sub tutela » ipsius afflictas Etruriae res tandem respi» raturas ». Legatus benigne, et cum honore exceptus. nihilque a regulo omissum, quo se lucensi populo benevolum verbis et re ostenderet. adjecitque gratum sibi fore, si Lazarius Guinisius Francisci filius ad se venire non gravaretur, quae domum renunciata, patres nova spe auxere. consilioque tum publice, tum privatim inter Guinisios habito; in eam sententiam convenere, e republica esse, ut Lazarius Mediolanum proficisceretur. Injecerat Florentinis ingentem curam Manfredi legatio;

quare vix eo Lucam reverso, statim oratores Florentia adfuere. Duo postulabantur: alterum ut injecta alias de Mutronis portu mentio, iterum revocaretur: alterum, ut legatus, aliorum foederatorum exemplo, Venetias mitteretur. Et quoniam legationis ejus summa haec fuerat, primo capite omisso, pluries coactis in curiam patribus de altero disceptatum. cumque pervinci non potuisset ut legatio decerneretur, tandem responderi placuit, senatum missurum, qui coram populi lucensis sententiam exponeret. Missusque pridie Kal. maji Manfredus: qui, alias super alias causas Florentinis congerentibus, necessariam eam legationem esse, si bonorum sociorum officio Lucenses fungi vellent; tandem respondit, (sic enim mandatum erat) legatum Venetias iturum. Neque sic tamen nisi gravate et cunctanter legatio decreta. Missusque junio exeunte Venetias in speciem Jacobus Vivianus cum occultis mandatis. Sed multo major florentino populo, ex Lazarii Guinisii ad regulum profectione, scrupulus injectus est. Quare veriti ne separatim ab ipsis, pax per eum cum regulo sanciretur, statim Guidonem Thomae filium, magnae in ea republica auctoritatis, Lucam misere; ut ab eo consilio, qua pollebat dicendi vi, patres Guinisiumque revocaret. Sedentibus igitur

pro collegio decemviris, gravi oratione, missum se a florentino populo significavit, « pro ipsius » erga rem lucensem Guinisiamque familiam » studio, quarum utrique ea profectione pe» riculum creabatur. notas essse reguli artes, » quas nisi in tempore cavissent, sera poe» nitentia sanum consilium respecturos. per » fraudem et astus, civitatis principem evocari » tamquam reipublicae obsidem. ubi illum in » potestate habuerit, cui familiae potentiam, » cui spes vestras niti sciat, tunc ad iniqua » postulata descensurum: quibus ille, aut ve» stro periculo assentiatur, aut adversetur suo. » de fide et constantia viri non ambigere: » sed non committendum ut in certam per» niciem rueret. non defuturas regulo ad eum » tollendum artes. posse in itinere reducem » insidiis, posse veneno intercipi. proinde » orare senatum ne reipublicae parentem, Gui» nisios ne domus suae columen, ipsum La» zarium ne caput suum, tam manifesto discri» mini objiceret ». Haec legatus apud decemviros. In praesens responsum, agnoscere patres sociae et amicae urbis studium, gratesque publico nomine habere. caeterum de re consultaturos, brevique responsum daturos. biduo inde in hanc sententiam respondere placuit. « Lazarium nullo publico negocio, sed

» privatae rei causa eam profectionem adornare, ut a regulo reciperet, quae ipsi, Guinisiaeque familiae Appianus per bella occupasset. se privatis commodis obsistere aequum non censere: ipsum suis utilitatibus, suis periculis iturum ». eoque responso dimissus est Florentinorum orator, cum illa die in quam dominicae resurrectionis solemnis memoria inciderat, decemvirali mensae accubuisset. Postridie Guinisius profectionem maturavit, ne qua rursus per Florentinos mora injiceretur: Ticinique regulum convenit, a quo exceptus tanta honoris significatione, quantam non temere alteri is princeps exhibuerat. Et quidem is erat Lazarius, cui praeter proprias animi corporisque dotes, et a familiae splendore, et a paternis virtutibus decus accederet. Conciliabat etiam homini auctoritatem, continuatus in republica principatus, princeps Forteguerra occisus, constituta ad arbitrium respublica, oppressi qui aliarum partium fuerant: et quod, quamquam falsum, perinde ad famam valebat, ejus ope Gambacurta pisana dominatione dejectus, Appianus auctus. sed omnium maxime, sapientia ipsius, inter domesticos externosque tumultus libertas civitatis servata. Quid in eo colloquio actum sit, alto silentio tectum in obscuro mansit. cae-

terum quae sequuta sunt, magnis suspicionibus locum fecere, quasi regulus, non impetrato quod concupierat, in ejus necem conspiraverit. Florentini ubi consilia sua sperni, Guinisiumque profectum sensere, statim iniquos rumores de eo totaque Guinisia gente disseminare, « Illum adversus florentinam rem » ivisse, ut cum hoste de ejus pernicie con- » silia iniret. non contentum principatu, quem » inter suos obtineret, Appiani exemplo Lu- » cam regulo certis pactionibus tradere, in » animo habere. eam profectionis causam, » quamvis premendis consiliis, aliae obtende- » rentur. » Eique famae alendae, ad munienda in finibus lucensium oppida, tamquam imminente ex ea parte bello, extemplo missum. Literae quoque sine auctoris nomine interceptae Senis a reguli procuratore, ad nobilem florentinum Roma scriptae, quarum exemplum hoc erat. « Audio Guidonem Thomae filium » Lucam ivisse, ut Lazarii Guinisii profectio- » nem disturbaret, sed irrito conatu, quod » vehementer doleo. praecipue cum explora- » ratum mihi sit, eum in perniciem nostram » profectum. nulla ad salutem ratio superest, » nisi ut ei reditus intercludatur. itaque amico » illi significabis, quem Guinisiae familiae » semper adversatum, probe nosti. Scito plures

» hic Romae Luca exules Guinisiorum inimi» cos esse, qui adjutores se, ut a Lucensi» bus omnia impetremus, pollicentur. Tu » unum cura ut ille salvus redire ad suos » non possit. Vale. » Hanc epistolam procurator extemplo ad Pisarum praefectum, isque ejus exemplum in Insubriam ad regulum et ad Guinisios Lucam transmisit: Guinisii per certum hominem Lazario significavere. Gratiae a senatu per Antonium volaterranum Pisarum praefecto actae. qui legato significavit, a regulo sibi mandatum, ut in omni re guinisiae genti praesto esset: itaque si opus existiment CC. aut CCC. lancearios, qui redeuntis latus tegant, in praesidium daturum. Remissum id tamquam suspiciosum et Florentinorum odia magis incensurum, si satellitio reguli stipatum vidissent. Nec ideo securitatis cura omissa. quippe reduci is comitatus fuit, ut si vis inferretur, facile propulsari potuerit.

Et inimicorum quidem vitandis insidiis felix, si eadem felicitate domesticas cavere potuisset. Quippe domum jam reverso, omniumque opinione beato, per vim et scelus, atroci exemplo, fata illi mortem admovebant. cujus ut certus auctor, ita duplici fama, causae in ambiguo fuere. Qui Lucensium res memoriae prodidere, inter quos Leonardus massensis,

hanc opinionem sequuti sunt. Decesserant pestilenti morbo contacti quatuor Antelminelli juvenes Castruccii pronepotes; cumque ipsis omni virili stirpe magni illius viri sublata, octennis puella Valerano, uno ex eis, genita tantum supererat. Antonius Guinisius Lazarii frater, simul claritudine nominis, simul copia divitiarum, quae ex ampla beataque domo in eam confluxerant, nuptias virginis ambiebat. alebatque eam spem, quod Lazarius a patre virgini tutor datus, amori fratris suffragaturus videbatur. Sed is, aut immatura puellae aetate, sive eum aliae causae impulere, Paulo, qui natu minimus fratrum erat, illam despondit. Eam injuriam tam acerbe tulit Antonius, ut ad praeceps occidendi fratris consilium, impie animum adjecerit. Ita ab ira jam furenti, altera fax a Nicolao Sbarra, communis sororis viro accessit; qui sorore fratrum Forteguerrarum genitus, tam alte odia erga Guinisiam gentem in pectus demiserat, ut nec servatus Lazarii beneficio, dum avunculi interficerentur, nec tradita post in matrimonium soror et commune sanguinis vinculum, saevum hominis ingenium mitigare valuerint. Itaque uterque nobilitate sua indignum facinus aggressi, XV. Kal. martii anni 1400, circa tertiam noctis horam ad Lazarii domum pergunt, eoque sibi convento

opus esse significant. Re ad Lazarium, scribendo tunc occupatum, delata, nihil a familiaribus cognatisque timendum ratus, e conclavi obviam egressus, Nicolaum benigne appellat, ut non affinem modo, sed in paucis quoque amicum. Quippe is ut sanguinarium consilium magis premeret, obsequio cultuque senem adeo devinxerat, ut arcanorum omnium, tamquam fidissimus, in conscientiam assumptus unus, vitae ordinem, somni cibique rationem, in quo conclavi meditaretur, quam custodiam adhiberet, exacte nosset. Salutantem igitur quaerentemque satin' salvae res essent, quod id noctis ad se venissent? Nicolaus minaci voce proditorem inclamans, elatum ensem in caput illius demisit: sopitumque ictu, ac semianimem Antonius multis vulneribus confodit: jacentique demum, ac novissimum spiritum ducenti Sbarra fauces novacula secuit: sero ad eum tumultum familia custodibusque accurrentibus, cum jam percussores elapsi in tutum se recepissent. Per hunc modum, exitu tam tristi, magnus ille princepsque vir extinctus est: cujus sapientia et consilio post Franciscum parentem, lucensis res ad eam diem steterat. Alia fama est, quam florentinarum rerum scriptores consensu tradunt: Antonium non privatis odiis, sed Pisarum praefecti instinctu, regulo mediolanensi

jubente, ad fratris caedem impulsum. ventosum hominis ingenium spe dominationis inflando, quam fratre sublato, reguli ope obtinere potuisset: quod si verum est, non abs re suspicari quis possit, Lazarium idcirco reguli fraude interfectum, quod rempublicam prodere recusasset. Sed non modicam ei famae fidem detrahit nostrorum silentium, eorum etiam, qui tum in republica versabantur, Guinisiisque intimi, et arcanorum conscii aderant. praecipue cum deinde regulus Paulo ad dominationem adjutor extiterit. Peracta caede, tum demum proditores sceleris magnitudine intellecta, turbati ac amentes, sumptis armis in forum se proripiunt; et ad sollicitandos militum animos, qui in porticu de more excubabant, hostes in urbe esse vociferantur: arma proinde caperent: et in ultionem eorum qui sentirent cum hostibus, secum pergerent. Interea atroci facinore per urbem vulgato Guinisii omnes, quique eorum partis erant, in defuncti domum convenerant: affluentibus subinde, quos familiae claritudo, dignitas viri, rei atrocitas e suis sedibus excibat. aliique in forum palatiumque cum armis cursantes, urbem totam tumultu impleverant. Quare momento tota urbis in armis praetoris familia, cunctique cohortium turmarumque praefecti, cum omni peditum,

equitumque multitudine, sub vexillis in armis stetere. Interim Bartholomaeus Paulusque defuncti fratres, dolore suppresso, quem maximum ex tam acerbo casu capiebant, una cum propinquis gentilibusque, ac amicorum conventu, quid opus facto consultabant: sed ancipiti malo distracti consilium aegre expediebant. quippe fratrum alter occisus, alter percussor, ut ne quidem pii salva pietate esse possent. Sanguinem sanguini, funus funeri acervandum; implendam luctu domum: miseram sororem tribus funeribus onerandam; eo fati acerbitate adactam, ut si pia in fratrem esse vellet, maritum lugere non posset. Sed inter hos affectus ira in Antonium recurrebat, qui pessimo facinore, clarissimae familiae nomen maculasset, seque, fratrem, rempublicam perditum isset. Hae tandem causae vicere. Itaque in palatium cum universa clientum manu Guinisii fratres pergunt: et Joanne Testa decemvirorum principe, populi vexillum tradente, in forum, ubi percussores constiterant, iter intendunt. Antecedebat Bonaccursus Boccius, unus ex vexilliferis regionum, publicum lucensis populi vexillum manu praeferens, armatique in equis Bartholomaeus et Paulus Guinisii sequebantur. tum caetera militum acies, tam civium, quam peregrino-

rum, qui in praesidio urbis erant; cunctis circa facibus luminibusque collucentibus. Ubi in forum perventum est, conspecto populi vexillo, iis qui se se percussoribus adjunxerant, animi illico concidere. inque ipso resistendi initio, cum aliquot pila in adversos ingessissent, quorum unum leviter Pauli manum perstrinxit, terga vertere: captique Antonius et Nicolaus, ac praetori traditi, ut de iis quaestiones haberentur. Atque ita intra paucas horas, sedato tumultu, singuli in domos suas in reliquum noctis concessere. Postero die, quaestionibus habitis, cognitoque universi facinoris ordine, percussores capitis a praetore damnati, securique in foro inspectante populo percussi: miserante nullo. quippe atrocitas sceleris omnem misericordiam abstulerat. Observatumque est, nullo quidem decreto, sed tradito per manus more in hominis notam, ne quis Guinisiae genti in posterum Antonii nomine vocaretur. meminique nostra memoria Josephum Guinisium, cum Laurentii Antonii nomen primo ex liberis indidisset, apud gentiles ea de re conquestos, factum excusantem causam attulisse: id nomen puero in Antonii Bonvisii affinis honorem impositum. Supplicio de reis capto, demum conversa cogitatio ad honores, quibus novissimus

tanti viri dies clarior redderetur. Die funeris milites in foro armati stetere: portaeque urbis, praeter unam, clausae; ne universa civitate in officium exequiarum effusa, aliquis tumultus oriretur. Corpus solemni pompa in aedem D. Francisci delatum inter innumeras faces, universis sacerdotum collegiis, tota Guinisiorum familia atrata; cunctisque non clientibus modo, sed iis quoque, quibus ille ea morte occultum gaudium ex invidia erat, in adulationis speciem comitantibus. Tum ingens populi multitudo, cui insitus Guinisii nominis amor ac veneratio, tutorem parentemque veris lacrymis prosequebatur. Nicolaus urbis Antistes, gentilis sui manibus expiandis ad aram maximam solemni ritu sacris operatus est; corporique defuncto novissimas preces adhibuit. comparantibus cum Francisci patris funere impar una re visum, quod publicae majestatis decus ex decemvirorum absentia defuisset.

Lazarii mortem graviter tulere Florentini: nam quamquam illum turpissima vendendae patriae suspicione aspersissent; tamen et per legatos illis satisfactum erat: omnisque suspicio ex animis eorum evulsa. et ubi caesum reguli mediolanensis dolo vulgatum, multo magis temere creditam de illo famam judicavere. Quare veriti ne si Lucae res novarentur

fraus aliqua ipsis fieret, oratores misere, qui rectoribus reipublicae Guinisiisque auxilium pollicerentur. quibus gratiae actae, jussique in aliud tempus egregiam voluntatem differre: » magnum Lazarii morte discrimen aditum; » sed malum eodem tempore exortum extin- » ctumque. nec in praesens quicquam occur- » rere, quod ipsi per se expedire non pos- » sent. » Nec tamen ab eo motu ita civitas convaluerat, ut nova aliqua tentatio metui non posset. sed medentium manus non minus quam morbus timebantur. Nam et Lazarii morte, Guinisiorum partisque ejus, quae tum rempublicam administrabat, animi fracti, contra exulum creverant. praeterea saeviente adhuc pestilentia, aliorum civium morte, aliorum fuga in dies urbs nudabatur: nec tutum erat in vacuam, et facile in discordias erupturam praesidia accipere, quae e re nata in perniciem accipientium verterentur. Florentinis, nota cupiditate, ad imperium Etruriae aspirantibus; Lucaeque semper in compendium suum amicis. Nec inanis discordiarum metus patrum animos incesserat. quippe non obscure ab iis, quibus dominatio praesens invisa erat, voces in vulgus effundebantur: Lazario extincto, qui Guinisiae familiae columen fuisset, jam eam in ordinem cogendam: nec ab una domo ar-

bitros magistrosque rerum amplius accipiendos: id voce qui in urbe restiterant, id literis exules jactabant; praecipua Landi Moriconii ferocia, qui spem principatus, si Guinisii opprimerentur, ut adversae factionis caput, non occulte praeferebat. Nec minus ex eo bonis civibus curae, quod Guinisia domus, cui respublica tot annis innixa steterat, pestilenti morbo in dies minuebatur. quippe Bartholomaeus Castellione, quo vitandi morbi causa concesserat, majo mense extinctus erat: Paulo fratre eadem vi morbi correpto. vixque mensis unius interposito spatio, Lazarius alter, Nicolai filius, et Nicolai antistitis pater, vir magni consilii, nec minoris animi, et ipse pestilenti contagione sublatus: filio ipsius Joanne, intra paucos dies a patris funere, tum aegritudine animi, tum corrupti caeli spiritu, vulgarique morbo extincto. quique eorum supererant, Dinus consilio et prudentia rerum capax, sed ob senectam invalidus; Paulus juvenis, sed vitae adhuc incertus; Michael afflicta valetudine, citraque spem salubritatis implicitus. Accesserat Nicolai Serpagani, prompti ac audacis viri mors, qui ejus dominationis ingens praesidium fuerat. Quare inclinari jam reipublicae statum, conversionemque imminere perspicuum erat. Interim placando numini

supplicationes fiebant, precibusque ac votis afflictis rebus solatium; nec eo secius ab humanis consiliis ruenti civitati auxilium petebatur. Quare cum in Kal. majas sortitione decemvirorum, ut moris est facta, princeps ejus collegii Mathaeus Trenta exisset: quod iu eo parum opis ac facundiae, ad eum honorem gerendum tam asperis temporibus esse putaretur; novo exemplo in ejus locum subrogatus est Petrus Giuntori unus ex collegis, et Trenta pro decemviro esse jussus. Praeterea, civitate, ut dictum est, morte, aut fuga incolarum infrequenti, ne ob peregrinorum multitudinem, qui saecularis anni religione Romam confluebant, aliquod periculum adiretur, praeter solitum praesidium, quatuor cohortes in urbem acciri placuit. Nec amici fautoresque Guinisiae domus cessabant, ut suam reique publicae fortunam, amplitudini ejus innexam tuerentur. Princeps eorum erat Joannes Sercambius, qui tenui loco natus, sed ingenio et consilio validus, ad honores Guinisiorum ope provectus, semelque etiam decemvirali principatu functus, eam familiam velut fortunae suae parentem colebat. Itaque cladibus, quas jam cernebat animo occurrendi cupidus, paucis qui e Guinisia gente supererant conventis, in hunc modum loquutus est. « Quo loco res et fortunae vestrae sint,

» optimi cives, quamquam per vos ipsi cernitis;
» tamen fidei constantiaeque meae duxi vos
» admonere. Lazarium, quod nec sine lacry-
» mis vos audire, nec ego memorare possum,
» et in eo publicam privatamque spem, per
» scelus amisimus. Antonium et utinam illum
» tantum, sua vecordia perdidit. Bartholo-
» maeum pestilentia sublatum lugemus. ejus
» morti, una tamquam ruina, Nicolaus et Joan-
» nes, pater filiusque aggesti. Paulus an vi-
» cturus sit, prae morbi saevitia adhuc am-
» bigitur. te, Michael, ea gravitate, ea sapien-
» tia praeditum, pertinax valetudo jam diu a
» negociis avertit. Dino, ut superi indulgeant,
» senio jam gravi, frui diu non possumus.
» Alii per adolescentiam gerendis rebus im-
» pares sunt. Et si hae vestrae tantum jacturae
» essent, quamquam clarissimae familiae inte-
» ritum cernere acerbum, tamen taciti for-
» tasse dolere possemus, et de fatorum iniqui-
» tate inerti luctu queri. Sed nunc vestrae sa-
» luti, vestrae fortunae, tot civium optimorum,
» tot clientium, imo publica civitatis salus in-
» nititur, ut ruere illa non possit, quin ista
» quoque eodem labefactata motu in exitium tra-
» hatur. quanta in expectatione sint, qui aegris
» oculis domus vestrae potentiam aspexere,
» clam non est. excidunt quotidie superbae

» imprudentibus voces; vultus, oculi, incessus
» solito ferocior principatum jam spirat. jam
» exules de reditu agere incipiunt, in vos
» vetere odio, et recenti exilio efferrati. visuri
» ne iterum sumus seditionis vexillum sustolli,
» cives ferro trucidari, urbem sanguine impleri,
» rempublicam, ne quid gravius dicere videar,
» ab iratis occupari? Florentini ex longo ci-
» vitatis nostrae dominationi imminent. Regu-
» lus mediolanensis, Pisis, Perusio, Senis in
» Etruria potitus, Lucam ut accessionem im-
» perii jam diu cogitat. prospicite, per Deum,
» patriae, amicis, saluti vestrae, optimi viri:
» remque publicam, quae nisi vos eritis, nulla
» erit, e faucibus domesticorum externorum-
» que hostium eripite ». Haec Sercambius.
quo dicendi finem faciente, cum diu multum-
que agitata res esset, placuit adhibere ei con-
silio Thomam Ghivizanum, humani divinique
juris consultissimum; multis legationibus, et
armorum imperiis functum, Guinisiaeque domui
maxime fidum: cujus suasu in praesens decre-
tum, ut milites in urbem ex agro accirentur;
novaeque ballistariorum cohortes scriberentur:
sparsisque ubique locorum exploratoribus, ne
quod adversariorum consilium falleret, sedulo
insisteretur. Quibus diligenter peractis, quoti-
die literae afferebantur, tum exules qui Romae

erant, tum eos adversae partis, qui aut Bononiam, aut Gennam, aut in alias Liguriae civitates pestilentiae causa migraverant, aperte de rebus novandis habere sermones: minarique Guinisiae genti, iisque qui rempublicam hactenus tenuissent. decrescebatque in dies vi morbi absumptus bonorum civium numerus. quorum virtute et consilio, rerum novarum cupidis obsisti posset. Quare Joanne Testa decemvirorum principe, qui Kal. julii magistratum injerat, senatu in curiam vocato, XII. civibus respublica omnis permissa. qui non adhibitis in consilium decemviris, ut res posceret, arbitratu suo cuncta ordinarent. jusque illis esset, aliis decemvirorum magistratum abrogare, alios in demortuorum locum sufficere, veteres praefectos, militesque exauctorare, novos conscribere. rati eam optimam retinendae libertatis, qualis tunc esse poterat, rationem esse; si bonis civibus, partim morte, partim metu amissis; hinc exulum infensorumque civium odiis, hinc externarum gentium cupiditate imminente, iis imperinm permitteretur; qui pauci numero, et legi ex optimis, et cogi facile possent. Fuere ii ex tribu Pauliniana Joannes Sercambius, Nuccius Joannis, Franciscus Berindellus, Franciscus Buzolinus. Ex Salvatoriensi Thomas Ghivizanus, Antonius

Volaterranus, Paulus Guinisius, Bonaccursus Boccius. Ex Martiniana Dinus Guinisius, Joannes Bernardinius, Joannes Testa tunc princeps, Nicolaus Philippi. Hi, suscepta reipublicae administratione, in palatium coibant, quodque majori parti placuisset, id ratum erat: locusque in quem pro collegio conveniebant, ab ejus potestatis nomine curia XII. virorum appellatus (1). Primo ejus collegii decreto, ad frequentandam urbem pestilentia vacuam, omnes fere exules, praeter quam qui judicati hostes essent, restituti: aliaque ordinata usque in diem X. Kal. septembris: quo nova decemvirorum in proximos menses sortitione facta, collegium unius morte, quorumdam absentia infrequens apparuit. Nam Paulinus Podius, Stephani filius, qui princeps designatus erat, in Ligures ad vada Sabatia (2): Dominicus Lupardus Bononiam concesserat; Carolum Martinium pestilens morbus extinxerat. Quare XII. viri, pro protestate ita collegium ordinavere: ut Joannes Sercambius maximus natu designatorum Paulinianae tribus princeps esset: in ejus locum Stephanum Chiatrium; pro Dominico Lupardo, Andream Orsuccium; in locum vero

(1) La Camera de' XII. di Balìa.

(2) Savona.

Martinii demortui, novo exemplo, Paulum Guinisium subrogarunt: quamquam superiore anno iisdem comitiis decemvir fuisset. velut ejus fortunae omen, quam illi fata occulto consilio struebant. Rebus ita constitutis septembres calendae affuere: quibus magistratu per novum collegium inito, morbique vi jam remittente; tum ex absentium literis, tum ex eorum sermonibus qui in urbe restiterant, Guinisiae domui, atque adeo libertati ac reipublicae cladem minitantium, rumores in dies crebrescebant. Florentinique cum exulibus consilia miscuerant; rati si ea gens, cujus consilio ac virtute lucensis res post receptam libertatem ad eam diem steterat, concidisset, expeditum sibi ad occupandam civitatem iter futurum. Quae certis indiciis cognita, patrum curas intenderant: qui suspensi et anxii in omnem partem circumspiciendo id agebant, ne incauti opprimerentur. cum aliam super aliam fortuna cladem acervante, Michael Guinisius afflictae domus, reique publicae columen, jam pridem ex longo affecta valetudine, V. Idus octobris extinctus est.

Ejus morte in tantum adversae partis animi crevere, ut redeunte ab obsequio funeris civium multitudine, cujusdam e Podia gente inconsulta vox excepta sit: « jam potentiam

» Guinisiae domus afflictam: jam illam in or-
» dinem, atque etiam infra cogendam: nec
» ultra quemquam passurum, ut arbitri ma-
» gistrique rerum Guinisii forent ». Ea vox ut temere effusa, ita sine mora ad Paulum, Joannemque Sercambium in palatium delata, eo rem deduxit, ut quae deinde sequuta sunt, non ab imperii cupidine, sed a tutelae necessitate profecta excusarentur. inimicorumque acerbitas in id valuit, ut quos principes recusabant, dominos facerent. Quippe securitatem suam, reique publicae in eo sitam arbitrati, si adversariorum conatus praeciperent, consilio amicorum habito, cui adhibiti sunt Thomas Ghivizanus, Guido Manfredus, et Marcus Martinius, quorum alter maximus, alter minor actis senatus in tabulas referendis scriba erat: in eam sententiam convenere, si salvam Guinisiam domum, si rempublicam incolumem vellent, in id adnitendum, ut Paulus antiquo more lucensis populi defensor ac dux crearetur. quae potestas inter servitutem ac libertatem media, veteris dictaturae imaginem referebat. Esse in familia Dinum, prudentia et usu rerum ei muneri aptiorem: sed invalidum senecta. Paulum contra juventam viresque integras ad labores, ac munia reipublicae afferre. ipsum per se, quantum aetas caperet,

sapientia pollere: nec Dini amicorumque consilia in subsidium defutura: aderat ei consilio Paulus, qui aetate, et quae magnis ingeniis individua est, gloriae cupidine ferox, conjunctam cum sua gentisqne Guinisiae amplitudine salutem publicam, non iniquis auribus accipiebat. Quare inter preces adhortantium, ut rempublicam caperet; « se vero, quando ita cen-
» seant e republica esse, id onus subiturum
» affirmat. et quamquam animo cernat in quod
» discrimen caput obiiciat, publicam causam
» non deserturum ». Itaque codicillis propere ad praefectos militum, qui in agris erant conscriptis, imperatum ut cum suis copiis ad urbem adessent. missusque praeterea Pisas ad reguli praefectum Guido Manfredus, ut lancceariorum turmam ab eo impetraret: a quo benigne responsum, non unam aut alteram, sed turmas omnes, si placuisset, missurum: seque etiam, si opus esset, in subsidium venturum. habere enim a regulo in mandatis, ut ad omnia Guinisiorum imperia praesto esset. Placuit quoque nonnullis civium, de quorum fide minime ambigebatur, arcanum aperiri, ne urbana quoque auxilia deessent. assumptique in conscientiam Jacobus Darii, qui decemviratum gerebat; Petrus Stephani, Franciscus Jacobi et Burghesius Lotti. His caeterisque

quae rei magnitudo poscebat, sapienter dispositis, pridie Idus octobris cum matura jam omnia viderentur, circa mediam noctem vocati in palatium omnes tribuni praefectique urbanarum copiarum, admonitique a principe decemvirorum Sercambio, quo in periculo respublica versaretur: » Exulum odia, Florentinorum » insidias instare. in eo salutem publicam verti, » si Paulus Guinisius populi dux crearetur. » Eo facto inimicis audaciam, hostibus spem » casuram. Libertatem non occupari, sed apud » eam domum deponi, quae illam nuper ex » hostibus recepisset. si exules Florentinorum » ope invaluerint, rursus cruore ac caedibus » urbem implendam. nec alium fore exitum, » nisi ut attritis discordia civibus, qui in » subsidium vocati sint dominationem invadant. » Quod si malo civitatis evenerit, spem omnem » recuperandae in posterum reipublicae, ac » libertatis accisam ». quae cum tamquam vera a ducibus probarentur, dimissi, jussique cum suis peditum equitumque copiis mox in armis adesse. et jam lux appetebat, cum Paulus sumptis armis, equo vectus, medius inter principes amicorum, stipatusque militibus in forum e palatio descendit. Sercambius lorica sub vestibus sumpta, aliique amicorum, et ipsi occulte armis tecti, in palatio substitere. ut hinc

publici imperii arce occnpata, quietiora omnia procederent: neve saluti reipublicae coepta, in perniciem verterentur. Snb idem tempus evocati ex agro milites ad portas ex condicto stabant, una cum lancceariorum turma in subsidium a Pisarum praefecto submissa. quae copiae in urbem introdnctae, certisque locis in praesidium locatae. Interea Sercambius per viatores XII. viros, qnornm ipse princeps erat, in palatium exciverat. qui cum praetereuntes Paulum in foro, inter vexilla cohortesque armis fulgentibus cinctum conspexissent, rei novitate attoniti, et quid ea sibi vellent Sercambium principem requirentes, ab eo perplexe, ac per ambages retulere: Paulum sibi reique publicae contra inimicorum vim consulere decrevisse. illa arma, illam multitudinem eo spectare. proinde nil metuendum iis qui salvam rempublicam cuperent. Haec Sercambius suspense et abscisse, qnamquam rerum omninm auctor et conscius; ut interim moras nectendo, tempore consilia valescerent. Subiicientibusqne Joanne Testa et Antonio Volaterrano, rempublicam non ad unum Paulnm pertinere: quare ituros se, nt illum ab eo consilio revocarent: significarentque ea civibus non probari: nulla per Sercambinm injecta mora, quin pergerent ipsique animum suum explerent. Ad Paulum

profecti, nihil ab eo certi retulere: jussi tantum ire, et ea quae princeps Sercambius exposuisset, exequi. cum hoc responso dimissi in palatium redeunt. Tum Sercambius arcanum omne retexens, Paulum auctoritate XII. virorum summae potestatis ducem lucensis populi creari velle significat. petere suffragiis quod armis jam teneat. ita privatae ipsius, ita publicae salutis interesse. Sapientum esse sponte remittere quod cogi possent. Ea denunciatione perculsi, qui Guinisiae domus ruinis, gradum sibi ad amplitudinem struere moliebantur, sanguinem vocemque amiserant. Thomas Ghivizanus, laudata principis Sercambii sententia, non aliam esse retinendae reipublicae libertatisque viam confirmavit. Dinus Guinisius gravate primo et cunctanter, mox tamquam veris victus palam assensit. Consultantibus Paulus ipse, relicto ad custodiam fori praesidio, armatus supervenit: comitantibus praetore urbano et Bartholomaeo Offaniensi, qui ducatum populi tunc gerebat. quibus paria affirmantibus, tandem XII. ac X. virorum decreto, Paulus defensor, ac dux populi lucensis creatus est. Tum princeps Sercambius ad se accedenti, vexillum populi lucensis virgamque ejus potestatis insigne tradens: « confugit, Paule, inquit, in sinum » tuum tot malis quassata respublica, tu aegram

» fovebis recreabisque: libertatemque, quam » parens tuus consilio ac laboribus peperit, » ne alii opprimant, in ea domo, in qua nata » est servabis. tu civem patremque ages; qua» lemque decet, quem respublica non accipit » principem, sed facit. monere te diutius, nec » loci nec temporis ratio sinit. domestica exem» pla rerumque usus, certiores magistri, cae» tera docebunt. » A colloquio complexuque principis digressus Paulus, iterum equo vectus, sublato vexillo per urbem discurrit, inter faustas militum vulgique acclamationes: reversusque in palatium, in verba sua praetorem urbanum, praefectosque militum sacramento adegit. idem mox peditum, equitumque urbanae copiae, dein arcium praefecti, quique illis praesidebant milites praestitere. quibus novae tesserae ac signa tradita: omniaque facta, quae illius potestatis erant. Et quia simul decemvir erat, reliquum octobris in palatio cum collegis substitit, habitu cultuque aliis haud absimili. At ubi eo magistratu abiit, novique decemviri, Nicolao Arnulfino principe, honorem adjere, seorsim ab aliis in eodem palatio mansit: propinqua domo interim apparari instruique jussa: specie, quasi ipse in eam mox transiturus: sed re vera, ut matrem conjugemque, ubi eam duxisset, in illam transferret.

Rebusque suis firmandis primum omnium scribam Manfredum, et Antonium Valaterranum ad regulum mediolanensem oratores misit: qui totius rei ordinem docerent: eumque in studio erga rempublicam gentemque Guinisiam confirmarent. Nec ardui negocii res erat. quippe regulus nuncio de nova Pauli dignitate accepto, ad eum sponte gratulatum miserat: magnisque pollicitationibus oneraverat. Hanc potestatem, ut in rebus novis evenire solet, nonnulli tamquam libertati gravem, quidam ex invidia aegre aspiciebant. inter quos, ex ipsa Guinisia gente antistes Nicolaus, qui ducis patruelis erat; specioso, ut credi par est, patriae vindicandae obtentu, communicato consilio cum quibusdam ex majore Martinianae basilicae collegio sacerdotibus, ac Bartholomaeo Aramensi, Duccini quondam strenui copiarum ducis filio, adversus Paulum conjuravit. Verum eo consilio detecto, Aramensis securi percussus, sacerdotes in carcerem conjecti, ac mox dimissi: in antistitem nil gravius consultum. datum id sive sanctitati religionis, sive sanguinis propinquitati. Quare qui eum toto Pauli principatu exulasse prodidere falsum sequutos constat: cum etiam triennio post illum Paulus ad Innocentium VII. oratorem miserit, ut eorum temporum scriptor Sercam-

bius auctor est. Admonitus eo periculo Paulus, reputansque fortunam suam in lubrico stare, nisi solus rerum potiretur, in id adnisus est, ut XII. viri pro summa potestate, dominationem ipsi deferrent. obtinuitque nullo contra niti auso. Itaque novembri exeunte equo vectus per urbem iterum discurrit, inter laetas multitudinis voces novo domino fausta acclamantis. Ita sine ullius nedum caede, aut sanguine, sed ne contentione quidem, imperium lucensis reipublicae a populo in unum translatum: mansitque annos fere XXX. tanta clementia et moderatione gestum; ut qui Paulum crudelem acerbumque tyrannum scripsere, eos invidiam potius, qnam fidem in consilio habuisse palam sit. Nam si tributa demas, quae non hominis, sed temporum fuere; caetera lenis et incruentus, etiam cum iis, quos mortem proditione meritos, exilio multare satis habuit. nil in eo superbum, nil arrogans, nullae libidines, nulla, ne juveni quidem nisi ex concesso voluptas. ut Pauli principatus, conditionem temporum recte aestimanti, non oppressio vocandus sit, sed depositum libertatis. Verum eo sublato odia valuere: et liberis gentibus dominatione semper invisa, etiam justi domini imperium civitati grave visum. Lustrata ad hunc modum urbe in palatium

rediit: verum ejus collegii reverentia decemviris non statim abrogavit imperium, sed donec honore abirent in palatio manere passus est. qui magistratus a Kal. januarii MCCCCI. in republica cessavit, donec Paulus rerum potitus est. Nec Lucae tantum eo anno novatae res. major in Germania conversio extiterat augusto mense, Vvenceslao per septemviros augustales imperio abrogato, in ejusque locum Roberto Noricorum regulo (Bavariam vocant) suffecto. Pertulerant illum germani principes tot annis, non otio tantum atque inertibus vitiis imperii romani gloriam foedantem: sed et saeva ausum facinora, impietate insuper, et magicis artibus obstrictum: donec victa patientia orbis cervicibus depulere. clemens alias, nec sine prudentiae laude dum sobrius esset: sed cum mero incaluerat, non has virtutes modo, sed humanitatem ipsam exuebat. Lucensibus, ut pater, reddita libertate aeternum memorabilis: ita filius nec beneficio, nec injuria cognitus.

LIBER X.

BREVIARIUM LRBRI

Paulus Guinisius firmandae dominationi incumbit. Exules restituit. populum religione solvit. novam arcem extruit. Landi Moriconii infelix exitus. proditione Caroli Ronghi generi extinguitur. qui deinde a Florentinis obtruncatur. Pauli dominatio Florentinis suspecta. iidem portum Mutronis ab eo postulant. Insubriae regulus moritur. Florentini Paulum ad se trahere student. Paulus uxorem ducit. nuptiarum celebritas. Agrum praesens invisere parat. Gabriel Maria Vicecomes imperium Pisarum accipit. cum eo de oppidis controversia. Joannis Columnae arbitrio finitur. Frisonariae Coenobium sanctis viris floret. Paulus virili stirpe augetur. Ladislaus rex levando puero lectus: qui in ejus honorem Ladislaus appellatur. Florentini spe occupandi Pisas elati. Pisani Gabrieli Mariae insidiantur. qui Pisas Florentinis vendit. Pisani Florentinis arcem adimunt. Paulus foedus cum Florentinis recusat. neutrum se inter Pisanos Florentinosque praebet. Hilaria Pauli uxor moritur. Florentini Pisis potiuntur. Paulus tertiam uxorem ducit. in eum conjuratur. Gregorius XII. Lucam venit. Rosam auream Paulo donat. Cardinales a

Gregorio discedunt. Pisas concilium indicunt. Ladislaus rex Romam capit. Paulus cum rege foedus init. donis ab eo auctus. Bandellus Bandellius a Gregorio Cardinalis creatur. Alexander V. in concilio Pisano eligitur. Cardinales de transferendo Lucam concilio Paulum appellant. qui tamen etiam procuratores ad concilium mittere recusat. Ladislaus rex bellum Florentinis infert. conjurationes in Paulum detectae. Ludovicus Andegavensis commeatu adjutus. Joannes XXIII. Alexandro V. succedit. Paulus ut ad eum oratores mittat a cardinalibus sollicitatur. Pax inter Ladislaum regem, ac Florentinos composita. Paulus pacandis Genuensibus, ac Florentinis studet. Annonae levandae incumbit. agrum intra sex mille ab urbe passus metitur. Regulus mediolanensis interficitur. Paulus suburbanas aedes magnifice extruit. Sigismundus imperator in Italiam venit. Ladislaus rex moritur. Gregorius XII. pontificatu se abdicat. Paulus cum posteris Venetae nobilitati adscribitur. Mater uxorque ejus exeedunt. Martinus V. creatur. Braccius Montonus ex improviso lucensem agrum adoritur. Paulus vix manus illius elabitur. pretio pacem emit. Guidonis Manfredi in Paulum perfidia. Paulus Ladislaum filium Florentiam ad Martinum V. mittit. quartam uxorem ducit. novum legum volumen condit. Joannes Sercambius moritur. Paulus filium cum copiis in auxilium reguli mediolanensis submittit. Florentini bellum Paulo moliuntur. Nicolaum Fortebraccium

in eum immittunt. bellum aperte inferunt, saniore parte reclamante. eorum praefecti avare, et crudeliter agunt. Paulus tuendae urbi se comparat. Legatos in diversa dimittit. Florentini plerisque oppidis potiti. plura oppida Ferrariensi regulo se dedunt. Martinus pontifex Paulo favet. Lucenses in castra Fortebraccii impetum faciunt. Florentini obsidione urbem cingunt. Philippi Brunelleschi opera flumen Aesarem mergendae urbi deducere parant. Castra eorum inundantur. Franciscus Sfortia Mediolano in auxilium Pauli submissus. cum Fortebraccio confligit eumque fundit. Sfortia Paulo suspectus. Simultates inter utrumque exortae. conjuratur adversus Paulum. principes conjurationis Petrus Cenamus et Laurentius Bonvisius. Sfortia conjuratis favet. Paulus dominatione deijcitur: vinctusque cum liberis Mediolanum mittitur: ac inde Ticinum, ubi demum extinguitur. ejus elogium. Continet acta XXX. annorum.

ANNALIUM

AB ORIGINE LUCENSIS URBIS

LIBER DECIMUS

Mutato nova dominatione reipublicae statu Paulus firmandae potentiae, jaciendisque molibus mansuri principatus, totus incubuerat. Itaque cum Kal. januarii sequentis anni, sublato decemvirorum magistratu aliisque reipublicae rectoribus, cuncta negocia ad unum deferrentur, partiri curas imperii statuit, quo facilius regeretur. Primum omnium, qui vices ipsius fungeretur, Dinum Guinisium, aetate usuque rerum spectatum constituit, praefatus se illum parentis loco habere; nec aliter ei, quam sibi imperanti obtemperari velle. Collegium deinde novem virorum in tres menses creavit, ordine tribuum servato, qui jus populo dicerent, perduellium bona in fiscum redigerent, causas principem appellantium cognoscerent, sibique in consilio adessent: quos sacrosanctos esse voluit,

gravi poena in eos lata, qui illos verbo aut facto violassent. fuere ex tribu Pauliniana Nuccius Joannis, Stephanus Podius, Nicolaus Bandini. e Salvatoriensi Thomas Ghivizanus, Bonaccursus Boccaccius, Ranerius Malizardus. e Martiniana vero Joannes Bernardinius, Turcus Balbanus et Nicolaus Guinisius. utque sibi animos hominum conciliaret opinione clementiae; tum ad frequentandam urbem pestilentia vacuam, magnum exulum numerum restituit: certa, nec ea grandi, pecuniae summa imperata, quam ante fiscu inferrent: nemine reperto cui pecunia, quam patria carior esset. Inter primas quoque dominationis curas ad Dei cultum, venerationemque romani sacerdotii conversus est. Jam inde a Castruccii temporibus, qui Ghibellinarum partium fuerat, civitas obligata religionibus erat: soluta demum per Benedtctum XII. certis quibusdam legibus, quas asperitas temporum, et turbidus plerumque reipublicae status implere prohibuerat. nec deerant, qui calamitates, quae tot annis urbem vexaverant, in eam causam conferrent: « nondum placata lucensi populo numina. Urbem » adhuc diris, ac devotionibus obnoxiam. inde » caelum grave: inde morbos in corpora vulgatos: inde domesticis discordiis; inde externis cladibus saevitum. » quare Paulus

liberandis omni religione animis, a Bonifacio pontifice maximo literas obtinuit, quibus omni piaculo lucensis populus solvebatur. quod ubi per urbem fama vulgavit, laetitia ingens omnium mentes incessit. Principem pro se quisque laudibus in caelum attollere: jam puros caelo haustus, jam corporibus salubritatem, jam civibus concordiam, metum, ac venerationem hostibus redituram. denique omnia in Numinibus placatis habituros ominabantur. beneficium re ingens, supplicatione etiam ad templa divorum indicta, Paulus magnifice ostentavit: sacro etiam solemni ritu facto, literisque populo pro concione recitatis, sparsisque in vulgus earum exemplis: ipsum vero exemplar in palatio, ac in tabulario conditum ad memoriam posteritatis. Post religionem remque publicam, se demum respexit. cumque hinc exulum odia, hinc florentinorum vim instare cerneret (quippe non obscure inita adversus ipsum Florentiae consilia allatum erat) praevertendum ratus, novam munitionem, eo, quo Carolus IV. lucensis libertatis novissimus auctor, destinaverat loco, aedificare aggressus mense majo, intra proximum octobrem absolvit, propugnaculis turribusque, ac pinnis in arcis morem extructis, adversus domesticos externosque impetus receptum. extant adhuc ad meridiem

occidentemque urbis extremum ejus molis vestigia: locusque horreis furnisque publicis destinatus, arcis nomen retinet. Nec humanis consiliis, firmandae Pauli dominationi, divina deerant: Lando Moriconio et Carolo Rongho, Guinisiae genti infensissimis, intra breve tempus infelici exitu extinctis: quem utroque armis in eam susceptis, patriae memorabili, non ab re fuerit referre. Moriconius a tumultu Forteguerrarum sponte exul, dein contumacia adversus senatum hostis judicatus; pontificem diris et execrationibus, milites in patriam ferro armaverat: non semel in acie castrisque hostium imperator, aut miles. Sed cum in irritum conatus omnes recidissent, occiso demum Lazario Guinisio, non modo se non amplius exulem, sed et principem futurum crediderat. verum ducatu primum, dein Pauli dominatione spe omni accisa, in oppidum arcemque, cui Montalto nomen est, ad Ossam fluvium in ora maritima Aetruriae se se abdiderat: ibique nescio quo jure potestatem obtinens, eo praesertim tempore, quo vis et injuria pro jure erant, morbo aegritudine animi, ob improsperos rerum suarum exitus concepto, decumbebat. Aderat ei Ronghus, non minus sanguinis conjunctione, ducta in matrimonium ejus filia, quam odiorum in Guinisiam gentem patriamque comes: qui pes-

simum facinus ausus, et senem, et socerum, quem parentis loco colere debuerat, infami proditione violavit. Itaque morbo invalidum aggressus, non modo arcis dominatione, sed et omni instrumento, latronum more spoliavit; spiritu animaque tantum relicta, quam dolor, ac desperatio paulo post misero excussit. perque hunc modum vir antiquae nobilitatis, indigno virtutibus suis exitu extinctus est. dum fortunae suae impatiens, ferocia, ac elatione animi melioribus invidet, civitatis cujus principatum appetebat primo exul, dein hostis, et, quod novissimum malorum fuit, domestico scelere mori adactus; ut ei fuerit latro gener, carnifex dolor. Post ejus mortem Ronghus, scelus sceleri acervando, itinera obsidere, viatores capere, redemptionesque captivorum facere, tuto in oppidum arcemque latrocinii receptu. Nec deerat praedarum occasio, exteris gentibus, quae eo voti causa saeculari anno commigraverant, Roma domum redeuntibus. inter quos, insidiis nobilem e Britannia virum cum excepisset, redemptione oblata, pretium VII. millium aureorum constituit. Ex ea summa cum mille Florentiam, reliqua Bononiam is perscripsisset, Ronghus tuto a Florentinis itinere impetrato, Florentiam primo, inde Bononiam cum captivo, praedae imminens

advolat. Sed Florentini infamiam veriti, tanquam cum latrone sentirent, contra fidem datam, in Appennini transitu clam obtruncandum curavere. Atque ita, eo quo grassari solitus erat, latrocinii genere oppressus, patriae, socero, publicae denique securitati, quam sanctissimarum rerum novissimam violaverat, poenas dedit.

Et Paulo quidem non ut domestici hostes, ita externi minuebantur. Nova ipsius dominatio suspicionem Florentinis injecerat: parumque rebus suis aequum, mediolanensis reguli conjunctione ominabantur. Unde omnia eorum consilia eo spectare, ut vel eum sibi conciliarent, vel opprimerent. Et quidem eo rempublicam obtinente, nullam artem omisere, qua se illi adversos incommodosque praeberent: praecipue ejus amicitiae ac societatis spe dejecti, quam per initia principatus tentaverant. Quippe ut novi imperatoris gratiam occuparent, primi tuscarum civitatum legatos ad eum in Germaniam miserant. inflatumque vanis spebus, ad mediolanensem regulum opprimendum in Italiam exciverant: magna pecuniae in eam expeditionem summa oblata. Sed eo, ut bellicae artis parum perito, clade ac ignominia repulso, tanta rerum suarum desperatio illos ceperat, ut reipublicae, ac libertatis suae fatum extremum advenisse, palam

quererentur. Quare ne soli irati reguli impetum exciperent, lucensem dominum in eandem belli aleam secum trahere meditati, Caesaris oratoribus ut Lucam ad eum irent persuaserant: si objecto tanti principis nomine saltem ad ineundam secum societatem inducere potuissent. qui novembri mense in urbem advenientes, cum honore excepti, ac magnifice habiti dimissique cum donis, nihil nisi verba ac spes super eo negocio retulere: Paulo artes artibus eludente. Qui florentini populi terror, multo magis auctus est sequenti anno (1) mediolanensi regulo Bononiae imperium adepto: caede Joannis Bentivoli, qui patriae tyrannidem occupaverat. Quippe omni terrae marisque commeatu interclusi, novissima expectabant, libero mercium transitu intercepto, quibus omnes illorum opes niterentur, una tantum a Lucensium parte patebat via, quam illis quoque regulus adimere tentavit, misso Lancilotto Beccaria cum octingentis equitibus in subjecta Aesari loca, ut a Mutronis portu Florentiam commeantes interciperent. Quare Paulus veritus ne missi in florentinorum injuriam milites, in ipsius deinde verterentur, missis Nicolao Guinisio, cui cognomen Berla, et Nicolao Podio

(1) An. 1402.

ad regulum oratoribus, ejus animum mitigare conatus est. Sed cum ea legatio sine fructu extitisset, regulo in sententia obfirmato, iterum missi Guido Manfredus scriba et Stephanus Podius, impetrata venia rediere. quod ubi Florentiae auditum est, statim Lucam Paulo oratores misere, qui vetera de Mutronis portu postulata ingererent, promissis ac spe onerantes, si voti compotes fierent, praeter sempiternam beneficii memoriam, si tam asperis rebus suis propitium facilemque habuissent. revocabant benevolum Francisci patris; Lazariique fratris totiusque Guinisiae gentis erga ipsorum rempublicam animum; nec minus multa benevolentiae et caritatis florentini populi erga ipsos pignora. proinde se majoribusque suis dignam rem facturum; necessitudinemque inter utramque nationem, lucensem florentinamque tam arcto vinculo constricturum, ut eam nulla aetas, nulli casus resolverent. Legati benigne auditi, cumque eo responso dimissi, per oratorem florentino populo satisfactum iri. Missus Stephanus Podius Florentiam apud eos patres necessitatem temporum excusavit. satis eis esse debere, si eo portu tanquam suo amice ac hospitaliter uterentur. praeterquam quod inglorium, imperii jura minuere: cuivis eam cogitationem

occursuram regulo exasperato futurum, ut et Lucenses eum portum amitterent, et Florentini minime potirentur. Sed opportune anxios suspensosque Florentinorum animos ingenti cura reguli mors levavit. qui postridie Kal. septembris hoc anno, in medio gloriae victoriarumque cursu LV. annos natus, humanis rebus exemptus est. rara felicitate, intra paucos annos, Pisis, Perusio, Senis, Bononia ac tota ferme Gallia cisalpina sub imperium redacta, nomine impar, magnos reges potentia aequaverat. Funus illi regia pompa celebratum, cui omnes civitatum gentiumque subjectarum legati; plures quoque externarum, interque eos domini lucensis nomine Thomas Ghivizanus et Nuccius Joannis interfuere. Jacobum quoque Vivianum, scriptor mediolanensium rerum memorat, a Sercambio praeteritum. Vulgata reguli morte, statim Florentia legati affuere, Mutronis praetextu, sed re vera ut Paulum in partes suas traducerent. quos benigne auditos, sapienti dexteritate Paulus, nec omnia negando, nec cuncta indulgendo, bona spe plenos dimisit: non ita Florentinis amicum se praebens, ut maximum fortunae suae columen, eum qui in mediolanensi principatu successerat, non praeferret. Eodem anno Paulus, dilectis sibi Feroniensibus plures immunitates

concessit. praediumque D. Martini apud eos templo, piscationesque circa Mutronem attribuit. Insequenti anno (1) reipublicae statu composito, ad ordinandam domum conversus, soboli quaerendae, qua potentiam suam adversus aemulos hostesque muniret, nobilem virginem Hilariam, Carretta Finariensium dynastarum familia ortam in matrimonium duxit: Catharina Antelminella priore conjuge, nullis ex ea liberis sublatis, in aetatis flore extincta. nuptiae regio apparatu februario mense celebratae: ludis, conviviis omnique laetitiae genere populum oblectando. Nec minore magnificentia a civibus in principem certatum: aliis argentea vasa in mensae apparatum; aliis vina exotica pluris generis, aut ex venatione aves ferasque, quibusdam bellaria cereosque conferentibus. Nuptiarum die, ut miti clementique animo Paulus erat, XXIV. e nexorum numero carcere emisit. utque ei celebritati ab ornatu cultuque vestium splendor accederet, propinquos affinesque, quique stipendia e fisco caperent, eorumque uxores, lege quae contra luxum ambitumque vestium lata erat solvit; cultumque elegantiorem quo vellent uti permisit. Eadem clementiae ostentatione

(1) An. 1403.

plures exulum restituit, quos ad XCVI. fuisse constat. Joannem quoque Rapondum ante annos decem Avenionem relegatum, quodque relegationis fines egressus esset hostem judicatum, perduellionis poena absolvit, jussum Lunae consistere. verum cum propinquitate loci seditionem movere, inquieti ac turbidi vir ingenii, iterum depraehensus esset, in Hispaniam amotus, et Barcinone inclusus est. Nec in uno Joanne restituendo clementiam praetulit: sed et Petrum Rapondum, Jacobum et Perinum Michaelios et Petrum Trenta Ciomei filium hostes judicatos in gratiam recepit. Cumque praesens lucensis agri oppida arcesque obire, seque favori conciliando, populis ostendere decrevisset, ne interim ejus absentia urbanae res detrimentum caperent, XII. virorum consilium creavit, quorum principes erant Dinus et Nicolaus Guinisii, fidissimique Guinisiae genti Joannes Sercambius, et Thomas Ghivizanus, quos Philippae matri, virilis animi feminae, adesse, et dominationis negocia curare jussit: praefatus ut antea, Dino vices suas gerenti, tamquam patri obsequium ac venerationem impendi velle. quorum sex in palatio habitare, singulisque diebus saltem VIII. jus adeuntibus reddere pro collegio voluit. Haec inter ejus anni acta reperio. quo

exeunte cum Gabriel Maria, defuncti mediolanensis reguli filius, cui quamquam furtivo conjugio ex Agnete Mantegacia suscepto, Pisarum imperium testamento reliquerat, ad eam urbem adventaret, Paulus Massam usque, lunensis provinciae oppidum, Antonium Volaterranum, et Joannem Sercambium cum donis obviam misit: qui per fines Lucensium iter facientem deducerent, commeatusque ipsi comitibusque sumptu suo praeberent. Nec diu tamen gratia primo adventu conciliata inter hos principes mansit: exorta proximo anno (1) de quibusdam oppidis controversia, quae ab altero per injuriam occupata uterque querebatur. Inter caeteros socialium turmarum duces, qui mediolanensis reguli stipendiis militaverant, Joannes Columna e flore romanae nobilitatis extiterat. is stipendii nomine, quod sibi haud integre persolutum contendebat, a vidua defuncti reguli conjuge, iisque qui tutelae nomine mediolanense imperium regebant, arcem oppidumque cui Librafacta nomen est ad Aesarem situm, cum alijs quibusdam oppidis arcibusque obtinuerat. Paulus opportunitate usus, pretio VII. millium aureorum ab homine cupido redemerat: praesidioque im-

(1) An. 1404

posito, M. Martinio, alias sibi fidum expertus, custodiendum tradiderat. cumque Gabriel apud Columnam ea de re conquestus esset; Paulusque contra, a Pisanis plura lunensis provinciae oppida Lucensium juris, occupari objiceret; romanus apud utrumque compendii occasionem oblatam avide arripuit: curavitque ut ad se legati utrinque mitterentur. qui coram disceptarent. Iere lucensis principis nomine Guido Manfredus ac Stephanus Podius; quos Pisanorumque legatos, cum blande alloquendo pertraxisset, ut ejus arbitrio rem permitterent, ita litem diremit: ut lucensis XV. millium aureorum summa ipsi persoluta, pisano Librafactam remitteret: ab eoque Carrariam, Aventiam aliaque oppida, quae Lucensium fuisse constabat, reciperet. contra pisanus repraesentatis XVIII. millibus, Lunam ac Librafactam obtineret: mulcta etiam irrogata ei qui arbitrio non stetisset. quare Paulus statim Balthassarem Guinisium cum pecunia, Joannemque Sercambium ac Nicolaum Honestum, ad ea oppida munitionesque suo nomine recipiendas misit: tabulaeque publicae ejus rei confectae, Columna alienas discordias in utilitatem suam vertente. Longe aliter ex eadem familia Bartholomaeus, Lucensium bono, per id tempus agebat. qui generis nobilitate,

amore virtutis contempta, procul a luxu et ambitione, sanctis moribus caeleste vitae genus instituerat. Italiaque, magno audientium fructu peragrata, tandem apud Frisionariam, lucensis agri pagum, tribus circiter passuum millibus ab urbe ad occidentem situm, biennio ante constiterat. ibique cum aliis undecim sociis, sacerdotum collegio, quos regulares canonicos vulgo appellant, veteri disciplinae restituendo incumbebant. tanta sanctimoniae fama, ut etiam caelesti prodigio eorum virtus notesceret, stellarum numero incolis pari, super tectum communis domus in qua degebant, noctu fulgente. quod ab incolis loci, rei novitate attonitis, non semel notatum, amorem venerationemque, miraculo, erga sanctos viros auxit.

Nec dominationis parte recepta Paulus tantum eo anno laetatus est: sed longe majore gaudio, virilis stirpis puerperio, nova uxor illum cumulavit. Ob cujus beneficii grates carcer iterum apertus; festisque ignibus tum in urbe, tum in agro, infantis principis natales celebrati. lectus puero e sacro fonte levando Ladislaus Neapolitanorum rex: a quo, Joannes e regni proceribus, qui illum susciperet ejus nomine, destinatus, ac demum puer XII. Kal. januarii lustralibus aquis expiatus est, cum VIII. Kal.

octobris natus esset. Nomen illi, in regis honorem, Ladislao impositum; quem deinde ex vulgi usu Lancilaum appellavere. Ita maximorum Italiae principum studia sibi conciliando, Paulus sapienti consilio potentiam in dies confirmabat. Ab eadem mente, ultra insitam lucensibus venerationem erga summum sacerdotium, profectum; quod cum Kal. octobris Bonifacius supremum diem obiisset, Innocentio VII. qui paulo post ei successit, oratores destinavit, qui illi maximum in terris secundum Deum fastigium gratularentur. gnarus, quantum pontificum tutela lucensis res valuisset. Missi Nicolaus urbis Antistes, cum quo in gratiam redierat, unaque Thomas Ghivizanus, ac Stephanus Podius, qui insigni pompa sacram urbem intravere. Antistite cultu ejus sacerdotii, caeteris purpurea praetexta velatis. magnoque cum honore a populo romano excepti, ac benigne a pont. max. auditi, cunctis in ea urbe collectis gentibus spectaculo fuere. Anno (1) per hunc modum exacto insequens aderat, quo Florentinis, potiundi tandem concupita adeo Pisarum dominatione, initium factum. Pisani, sive libertatis cupidine, seu gentis ingenio, dominantibus semper

An. 1405.

infidi, iisdem artibus, quibus Gambacurtis olim, novissime Appiano, Gabrieli Mariae, matrique Agneti insidiabantur. Nec arduum erat, unum adolescentulum usu rerum rudem, unam mulierculam, alterum aetate, alteram sexu invalidam dolis capere. praesertim Ranerio Zacco gnaro talium rerum artifici, qui etiam Petro Gambacurtae, deinde Appiano imperandi inveteratis, illusisset. Insinuaverat se is in principis adolescentis animum, fidissimusque amicorum habebatur: rara felicitate, fidei opinionem apud omnes adeptus, cum omnes fefellisset. Ergo omnium arcanorum intimus, omnium consiliorum arbiter Gabrieli Zaccus esse: nec eo inconsulto quicquam parvi magnique in re pisana geri. Sed animus fallax et proditioni imminens id unum struebat, ut incautum juvenem opprimeret: eam rem in proclivi fore ratus si eum praesidiis nudasset. Itaque sensim illum a lucensis domini, quem unum consiliis suis ex propinquo obstiturum cerneret, amicitia avocare; iniquos rumores serendo, quasi Paulus accito e provincia feroniensi milite, occupataque per insidias porta, principatum illi auferre moliretur: eademque malignitate Paulum monere, quasi paria in illum Gabriel tentaret: ut suspecta utrinque fide, nec alter audacter petere, nec

amice alter auxilium ferre posset. Sed fraude sero intellecta, Gabriel domesticis hostibus septus, desperatione imperii retinendi, medio Bucicaldo, qui Gallorum regis nomine genuensi reipublicae praeerat, arcem pisanam, nec non Librafactae sanctaeque Mariae castella Florentinis tradidit, pretio CCVI. millium aureorum: tabulaeque confectae, quibus in rempublicam Florentinorum jura, principatumque Pisarum transferebat. et urbe quidem non nisi sequenti anno, bello ante ac saeva fame perdomita; castellis vero, et arce, tradente praefecto, qui eam Gabrielis nomine obtinebat, Florentini statim potiti: sed paulo post, Pisanis ad arma concurrentibus, praesidii socordia, amissa. Quod ubi Florentiae cognitum, dolor simul ac ira amissae grandis pecuniae, nec partae concupitae dominationis animos incessit. Quare omni ope adnitendum rati, ut quoniam auro non successerat, vi et armis perficerent, ad bellum summa ope comparandum curas omnes intendere, et ne quid usquam obstaret, Paulum, qui maxime ex propinquo Pisanos juvare poterat, ad foedus cum ipsis ineundum, misso Raynaldo Janfiliactio, pertrahere conati sunt. Res diu multumque agitata: missique a Paulo Florentiam primo Stephanus Podius, deinde Thomas Ghivizanus et

Nuccius Joannis. Sed Florentinis iniquas nimium foederis leges ferentibus, nihil transigi potuit. nam cuncta utilitate sua metientes, postulabant, ut Paulus opem ipsis ferret ad Pisarum imperium obtinendum: ut aditus omnes provinciae feroniensis, atque orae maritimae custodiret, laturisque auxilium Pisanis laborantibus transitum negaret: ut arma in Florentinorum hostes, ne quidem romano pontifice excepto, ex foedere capere teneretur: in eamque partem milites submittere, qua ii jussissent. cum contra ipsi, tam impudentibus postulationibus oblatis, ne unam quidem eamque justissimam admitterent, praestandi sumptus in turmam LX. lanceariorum, in quod tempus foedus ictum esset. Nec Florentini magis quam Pisani, Paulum in partes suas deducere laborabant: missis ad eum oratoribus, qui opem implorarent. Quibus responsum. » constitutum sibi medium inter utrum-
„ que populum agere; neutrique, aut amicum
„ aut inimicum futurum, laetaturumque eo suc-
„ cessu, quem cuique sua virtus aut sors de-
„ disset. idque non suo consilio, sed neces-
„ sitate adactum facere; ipsos per se per-
„ pensis rerum momentis statuere posse „.
Per id. tempus cum Olivolae dynasta in lunensi provincia vicum occupasset, Gabrielis

Mariae juris oppidum: idemque in Ortonovum pararet quod tunc temporis una cum Massae Carrariaeque dominatione lucensis populi imperio tenebatur; oppidani, ghibellinae factionis hominibus in auxilium vocatis, ejus impetum elusere. itaque oppidum ab iis lucensis domini nomine occupatum; praesidiumque impositum. Sed cum paulo post, praesidio expulso, fraude Antònii Bertolini e primoribus ejus loci, qui Gabrielis suasu proditionem comparaverat, amissum esset; missis Joanne Sercambio, et Antonio Volaterrano cum valida equitum peditumque manu, oppidum primo adventu captum, vastatis ante circa agris; adactique incolae in verba lucensis domini. quibus in officio continendis praesidium impositum, et arx extructa. Eodem anno controversia de finibus exorta inter Ignosi, fanique Feroniae incolas: ad eam componendam novi limites Pauli jussu constituti, Aghinulphi, veteris in regione Versiliae oppidi famaque celebris, sed jam diu bellorum clade deleti, agro inter utrosque diviso. Adversus insidias hostium eo quoque anno a Paulo provisum, jussis intra mille ab urbe passus arboribus solo sterni, quo liberior adventantium prospectus esset. quod nostra quoque aetate manet, brevioribus aliquanto terminis eo spa-

tio finito. Exitu anni, ingenti civitatis luctu Hilaria Pauli uxor puellam enixa, in flore aetatis extincta est: forma, pudicitia fideque ac amore in virum magno sui desiderio relicto. Funus insigni pompa celebratum; praecipua in pauperes liberalitate, aliisque quibus defunctorum manes expiari creduntur. Sepulchrum in media basilica martiniana extructum e lunensi marmore, egregii artificis manu: simulacrumque principis foeminae, cum habitu cultuque fortunae suae, operculo sepulchralis arcae insculptum. quae moles inde, cum vetus Odaeum, laxandae basilicae destrui placuisset, amota, et in aeditui cellam translata, adhuc spectatur. spiratque in lapide, cum egregia forma, modestia, morumque simplicitas, quales viventi fuere. Puella matris nomine appellata, cum adolevisset, tradita est in matrimonium Joanni Baptistae Fregosio Thomae fratri, genuensis reipublicae per ea tempora principis; ex quo conjugio plures liberi, interque eos avi materni nomine Paulus, romana purpura, patriaeque tum sacerdotio, tum principatu insignis. Sequenti anno (1) nihil memorabile in annalibus nostris reperio: nisi

(1) Ann. 1406

ad privatam gloriam publicis monumentis inserere libeat, absoluta jam arcis aedificatione, praefectos illius Franciscum Jacobium et Jacobum Darium a Paulo constitutos. Uberiorem scribendi materiam pisanae res praebuere. quippe cum Florentini, nulli nec sumptui, nec labori parcerent, eam urbem magna belli mole undique urgebant, Gino Capponio duce, cui armorum suorum imperium detulerant. frustra per Paulum Guinisium pacis spe tentata, missis Florentiam Thoma Ghivizzano, Nicolao Honesto, et Dino advocato: Florentinis per ambigua responsa et artes eam legationem eludentibus: donec tandem longa obsidione et fame perdomitae, tradente Joanne Gambacurta, quem Pisani ab exilio revocatum, rebus suis praefecerant, Pisae VII. idus octobris in potestatem Florentinorum venere. qui dies, ad haec usque tempora, in ejus victoriae memoriam Florentiae celebris habetur. Constat tantis laetitiis, non in urbe modo, sed etiam in agro, omnis generis sexusque homines ob eam victoriam incessisse; ut ad multam noctem cantu et choreis indultum sit: foeminis per lusum lasciviamque jactantibus, Florentinos pecunia Pisas, Lucam gratis habituros. Sed longe aliter opinione ipsorum eventus docuit: quamquam universis viribus in unam Lucam

productis, palamque factum, munitas clarasque urbes, quanto facilius sit verbis quam armis capere. Per hunc modum clara illa et potens Pisanorum respublica extincta est, tot quondam victoriis et imperio maris potita; per Orientem insulasque dominatione ac fama nominis prolata: ut non sine Lucensium miseratione, ita eorum dominatu tot annos acerbe habiti, non sine caelestis vindictae cura factum reputantium, quod tam cito libertate ac imperio amisso, quae aliis fecerant paterentur. Eo bello Joannes castellionensis, quem saepius factiosum, et ob id Luca exulem supra memoravimus, periit: a Florentinis Librafactae agnitus occisusque, ac per pedes ex arce projectus, tamquam ghibellinarum partium studio, inque florentinam rempublicam odio notissimus. Eodem anno postridie kal. novembris Romae fato concessit Innocentius II. in ejusque locum suffectus est pridie kal. decembris Gregorius XII. patria venetus, gente coraria, de quo saepius agendum nobis erit. Et quoniam eodem tempore Avenione Benedictus, qui Clementi per vitium creato successerat, pontificem agebat; ne funesto dissidio christiana respublica ultra scinderetur, legationes principum Romae convenerant, de concordia inter utrumque pontificem acturae. inter eas

lucenses oratores a Paulo missi affuere, qui principis nomine, quicquid consilii opisve in ipso esset ad extinguendam pestiferam secessionem pollicerentur. Neque tamen, cum ultro citroque saepius commeatum esset, finiri discordiae potuere: insigni praesertim Benedicti perfidia, qui simulatione pacis, retinendae dominationis cupiditate flagrantissime ardebat: Gregorio, ut per initia suspecto, ita demum pontificatus abdicatione purgato. Initio insequentis anni (1), amicis propinquisque ita e republica censentibus, Paulus tertiam uxorem duxit nobilem virginem placentinam Rodulphi Varanii Camertium dynastae filiam; e qua domo deinde Ladislao filio conjugem quaesivit. In earum nuptiarum honorem, praeter convivia et mensarum apparatus, varia spectaculorum genera populo exhibita, inter quae imitamenta belli et hastatorum decursiones. carcer quoque in ea laetitia apertus, aliaque in ejus diei celebritatem principum more acta. Addidere iis nuptiis splendorem missi Florentinorum Senensiumque oratores, nec non legati cortoniensis domini, pluresque e lunensi provincia oppidorum proceres ac dynastae:

(1) Anno 1407

claro jam per Italiam Pauli nomine; et cujus gratiam amicitiamque non tantum Etruriae nationes, sed etiam reges pontificesque, et concilia ex humani generis flore collecta ambirent. legatis magnifice munera a principe data; omnisque honos quem jure gentium iis habere mos est, et manentibus et abeuntibus habitus. Ex eo matrimonio quinque liberi suscepti, Augustinus, Philippus, Raynaldus et Rodulphus: sexusque sequioris Sveva et Vangelista, quae puellari aetate antequam nuptui tradi possent, obiere. Eodem anno, ut coeptam semel clementiae viam insisteret, Paulus civitati restituit Bectum Stiactam, et Nicolaum Landi Moriconii filium, et hunc quidem S. C. olim hostem judicatum, coque patre genitum, qui ad extremum usque spiritum Guinisiae domui infensissimus extitisset. Nec minus providenter publicis, quam clementer privatis utilitatibus a Paulo consultum: lege lata, ne quis sericae artis propagandae causa in alienas terras migraret. unicam illam eamque uberrimam opulentiae in civitate retinendae rationem ratus. cognito quantum detrimenti, migratione familiarum Castrucii tempore illo opificii genere in alias gentes invecto, lucensis urbs accepisset. Per haec

aderat insequens annus (1), initio cujus Paulus collegio IX. virorum, quos in consilium adhibebat, in sex menses creato, ampliorem quam antea potestatem illis attribuit. Inter eos fuere e Guinisia gente Dinus et Balthassar, principesque amicorum Thomas Ghivizzanus, et Joannes Sercambius, illi ad extremum fidi. Neque tamen ea mens cunctis civibus erga Paulum erat: quamquam leni imperio parentem potius quam principem ageret. Quippe Jacobus Vivianus et Puccinellus Turcus, consilio cum Obiciis communicato, qui olim a Lucensibus hostes judicati, nullam occasionem praebendi se Patriae incommodos omittebant, in eum conjuravere, ut illo principatu depulso, una Guinisiam gentem clientesque et amicos opprimerent. Sed ea conjuratione detecta, capti Vivianus et Turcus, praetorique Antonio Camerti traditi. a quo cum capitis damnati, bonaque ipsorum publicata essent, Paulus insita clementia, sanguinis vitaeque civium avarus, rescissa praetoris sententia, eos relegare satis habuit, vadibus acceptis, relegationis fines non

(1) Ann. 1408.

egressuros. Interea finiendae discordiae, qua tunc, ut supra memoravimus, christiana respublica laborabat, cum optimum visum esset, ut colloquio duorum pontificum res utrinque disceptarentur, Benedictus Rhodano subvectus per ligusticum mare cum classe primum ad Vada Sabatia (1), inde Veneris portum usque processit. eodemque tempore Gregorius Roma digressus cum aliquandiu Senis substitisset, tandem cum purpuratis principumque oratoribus, pluribusque dynastis, ac reliquo pontificiae aulae ministerio Lucam venit VII. kal. februarii a Paulo principe universoque lucensi populo, omni cultus venerationisque significatione exceptus. Pontifex antistitum aedibus martinianae basilicae continentibus; caeteri pro dignitate, aut in monachorum sacerdotumque domibus, aut a nobilibus civibus publice hospitio accepti: nec a Gregorio quicquam contra omissum, quod principi hospiti amplificando faceret. Quippe qua die aureum fruticem, in folia floresque rosarum se se expandentem, certo ritu initiare, ex vetere instituto pontificibus mos est, magnoque alicui principi, vel praesenti honoris causa dono

(1) Savona.

tradere, vel absenti transmittere; pontifex rosam solitis ceremoniis inauguratam Paulo dedit: quem a basilica in palatium redeuntem, manuque aureum ramum praeferentem, purpurati patres medium acceptum, cum universa pontificis cohorte, ac civitatis flore in equis deduxere, populi infinita multitudine pedibus prosequente. qua pompa post meridiem iterum per urbem equo vectus discurrit, talium insuetis novo quodam miraculo ac laetitia perfusis, simulque magnitudini principis sui non occulte faventibus; quem pontificiae majestatis dono augustiorem factum cernebant. Et laetus quidem Gregorio lucensique populo ierat is dies, nisi oratoris cujusdam Carmelitarum, ut appellant, ordinis acerbitas, gaudium turbasset. Quippe cum de loco superiore, ut moris est, ad pontificem in basilica martiniana verba faceret, libertatis immodicus, spreta majestate, in eum tamquam paci adversantem, continuandique imperii ambitione moras nectentem invectus est: eo usque intemperantia, et acerbitate linguae progressus, ut etiam perjurii crimine argueret. ob quae in vincula conjectus, ac publice in posterum concionari vetitus, temeritatis poenas luit. indeque profectum morem existimant nihil ad Pontificem maximum recitandi, sine ejus, quem

palatii magistrum vocant, censura. Injecerat hanc suspicionem etiam partis suae studiosis Gregorius, quod a Benedicto ad Vada Sabatia primum, mox ad Veneris portum ad colloquium vocatus, ire recusaverat. sed ea cunctatio, non aversantis concordiam, sed caventis insidias fuerat: Benedicto per dolum, falsa pacis jactatione Gregorium alliciente, ut in loca dominationi Gallorum regis subjecta perductum, insidiis exciperet, solusque male parto sacerdotio potiretur. Quod gnarum Gregorio, sollicitum ac suspensum ipsius animum in dies reddebat. unde cunctantior, et vitabundus doli ignaris censeri, quique per artes et vana pacis spe orbi illuderet. nec ea opinio vulgi tantum animis haeserat, sed inter purpuratos ipsos de Gregorii fide rumores ambigui erant: unde atroces utrinque suspiciones, ex iisque nata consilia, quae finiendae specie discordiam auxerint: duorum loco tribus pontificibus inde exortis, qui deinceps pessimo exemplo cristianam rem laceravere. Quippe suspecta, ut dixi, Gregorio veterum purpuratorum fide, contra quam sacramento caverat, (cujus religione in eo rerum articulo solvi se jus, fasque credebat) novos legere constituit. Igitur IV. Non. maij patres in palatium vocavit, Paulo etiam lucensi prin-

cipe, ut omnia qnietius agerentur accito: qui cum una cum custodibus corporis, solitaque stipatorum manu adfuisset, arrepta inde purpuratis ingentium querelarum materies, quasi Gregorius vim, metumque praesentis mortis intentasset. Assidente pontifice; vixque ab eo novorum patrum mentione injecta, exuta reverentia a Tusculano primum, deinde ab aliis atque aliis reclamatum: cum tamen interea non deessent, qui officii memores, pontificis pedibus provolverentur, minacemque et justa ira incensum lenire precibus tentarent. sed gliscente tumultu, cunctisque circa dissono clamore strepentibus Leodiensi prae caeteris insigni contumacia ferocius agente, concilium a pontifice infecta re dimissum: addita denunciatione, qua quemquam purpuratorum Luca injussu suo exire objectis etiam religionibus vetabat. Unde atrociores irarum causae, et abjectum palam summae majestatis obsequium: praecipue VII. Idus maii a Gregorio in sententia obfirmato, contra eorum voluntates IV. patribus in senatu adlectis. nam biduo inde Leodiensis absque Pontificis commeatu Pisas mutata veste iter arripuit; quem paulo post caeteri, pari contumacia spreto summi parentis imperio sequuti sunt. Accidisse id Florentinorum instinctu, in eorum annalibus re-

perio: qui Gregorio tamquam Ladislai regis amico infensi, illo e summo fastigio depulso, imminentem sibi ab eo rege belli procellam avertere cupiebant. Certe Ginus Capponius, audito patrum pontificisque dissidio, Pisis Lucam advolavit, a quo, alias itineris causas apud lucensem Dominum simulante, patres sollicitati, oblata Pisana urbe ad concilium universae cristianae reipublicae habendum, de X. virorum summae potestatis, qui tum Pisis agebant, sententia. Nec a tam praecipiti consilio, motos semel patrum animos retinere potuit, aut sancti senis reverentia, quem tum maxime opis eorum indigum deserebant: aut admotae principis, atque hospitis preces; qui omni studio iras lenire, filiosque parenti conciliare adnisus est. Sed ejus incoepti auctores haud sero caelestis ultio consequuta est: quippe pridie Id. junii Pisis excessit Angelus Acciajolus e florentina nobilitate ab Urbano VI. inter purpuratos adscitus: quem paulo post insequutus est julio mense Leodiensis, praecipuus Gregorii hostis, et seditionis in eum ventilator, Pisani caeli gravitate, antequam indictum conventum cernere potuissent. Dum haec Lucae, ac Pisis aguntur, Ladislaus rex a Gregorio senator urbis creatus, Romam armis occupaverat. cujus victoriae nuncium,

tamquam ad amicum, per certum hominem ad Paulum misit. qui cum Lucam intrasset XVII. Kal. junii ramum oleae manu praeferens, benigne exceptus, equoque phalerato, ac villosa veste ex holoserico, aureisque L. donatus. abeuntem sequuti a Paulo oratores, eam victoriam regi gratulatum, Nicolaus Guinisius urbis Antistes, Nicolaus Arnulphinus, et Jacobus Fatinellus cum donis, quae regiam majestatem, magnique tum nominis principem decerent. ea fuere thoraces galeaeque argenti aurique caelatura insignes: vestisque phrygio opere auro picta. Legati cum honore a rege excepti, donaque, amicitiae pignus, accepta. cui magis firmandae rex illico Fatinellum ad Paulum redire jussit cum mandatis, si secum foedus inire vellet, ad id sanciendum cum potestate certos homines mitteret. Nec ulla mora interposita missi Guido Manfredus, et idem Fatinellus, qui foedus lucensis principis nomine cum rege sanxere. revertentibus insignis equus CCCC. aureorum pretio a rege datus, quem ipsius nomine Paulo in regiae benevolentiae fideique pignus traderent. Reversi ab ea legatione intravere Lucam postridie Kal. julii: quo tempore Gregorius a vetere collegio desertus, confluentibusque in dies Pisas in eum ex orbe christiano sacerdotibus,

Pisanae urbis propinquitate parum se tutum existimans, Luca recedere statuit: cum etiam Benedictus a suorum purpuratorum plerisque, et quod ei affligendo gravius erat, a rege Francorum desertus, e Liguria discessisset. Itaque pridie Idus julii paucis comitantibus urbe lucensi egressus, Senas se contulit, ubi septembri mense ad partes suas confirmandas, aliis patribus in collegium adlectis, inter eos Bandellum Bandellinum lucensem, qui tunc Ariminensi sacerdotio potiebatur, adscivit. Senis Ariminum, ac inde Aquilejam, inque regnum Ladislai se contulit; perfugia mutare saepius coactus, ne in hostium potestatem veniret: praecipue ubi conventus Pisani sententia sacerdotio dejectus est, subrogato Petro Cretensi, quem Alexandrum V. vocitabant. Neque tamen inter tantas calamitates animum despondit, aut supremi fastigii insigna deposuit; satis gnarus quod imperium a Deo accepisset, mortali judicio abrogari non posse. quippe Gregorium rite creatum pontificem extra controversiam est, cum de Alexandro, eoque qui illi successit Joanne semper fuerit dubitatum. quam animi invicti constantiam illustri demum facto cumulavit, per Carolum Malatestam in constantiensi concilio sponte summo sacerdotio christianae reipublicae tranquillitati reddendae

abdicato. quod decus uni Pontificum, qui vitio creati non fuerint, post Caelestinum contigit. Gregorio Luca profecto, patres qui Pisas profugerant collegarum morte territi, eademque sibi pisani caeli intemperie, praecipue per aestatem gravi timentes, duos e suo numero, Brancacium et Carracciolum, quem Melitensem appellabant, Paulo Guinisio legatos misere, qui Lucam habendorum comitiorum sedem peterent. qui mature habito consilio: « deser» tum ab iis contra fas Gregorium, violatum » hospitium, spretas ipsius preces, odia etiam » Florentinorum reputans, quibus illi fidem » suam obligaverat, sapienti declinatione eva» sit ». Eadem providentiae cautione, iisdem paulo post rogantibus, ut si minus Nicolaum lucensem antistitem, propter sanguinis conjunctionem Florentinis suspectum, saltem aliquem procuratorem ad eundem conventum Pisas destinaret, qui ipsius nomine quae agerentur rata haberet, respondit: « Quoniam se incon» sulto pleraque decrevissent, posse etiam » absque eo transigi quae superessent. non » esse curationis suae sacerdotum causis mi» sceri, quos coli et adorari, non judicari a » principibus fas sit. Lucenses satis magnas » luisse poenas, quod Nicolao V. contra Joan» nem XXII. favissent. imprudentis esse alieno

» damno sapientem non fieri, stultissimi non » sapere vel suo. Gregorium ante ut ponti» ficem, nunc etiam ut hospitem sibi vene» rationi habitum. nec duas sanctissimas res, » caritatem ac religionem sibi aut Lucensium » alicui violare in animo esse ». Quo responso pisanis patribus spes omnis accisa, lucensem Dominum in partes suas trahendi; nec illi ultra tetendere. certum est neminem lucensium neque publico, neque privato nomine, ei concilio interfuisse, sed integrum Gregorio servatum obsequium.

Interim Ladislaus rex Roma (1), aliisque circa urbibus potitus, Florentinis ulciscendis, quorum occultis consiliis petitum se compertum habebat, bellum moliebatur. Itaque comparata XV. triremium classe, qua oram maritimam quae Pisas Ilvamque Insulam interjacet praeterveheretur: adjunctaque veteribus copiis valida XV. millium equitum manu, Etruriae appropinquabat. Quare Florentini hunc belli apparatum adversus se ex conscentia interpretati, X. civibus summam reipublicae detulere, qui omnia quae in eo rerum statu providenda essent, pro imperio curarent. quibus strenue

(1) An. 1409.

negocium suum exequentibus, praecipua erat in Paulum lucensem Dominum ira, quod novissime icto foedere, regem ejus instinctu in Etruriam accitum credebant. Sed jam in lucensem agrum irrupturis, subitus regis in Senensium fines adventus eorum consilia dissolvit: aliena calamitate admonitos quid ipsis patiendum foret, si Ladislaus Senensium agros late populatus, ab ea clade se se eorum terris superfudisset. Sed quod aperta vi prohibiti erant, occultis artibus moliebantur, Nicolai Guinisii, cui cognomen Berla, opera: quem, sive dominationis Paulo dejecto, sive alia spe corruptum eo pertraxerant, ut in gentilem suum proditionis consilia iniret. Sed literis interceptis, quibus universa facti series continebatur, expressaque ipsi reo confessione, conatus in irritum recidere. Paulo ea clementia in proditorem uso, ut convictum, praetorisque sententia morti damnatum, in Galliam provinciam relegare satis habuerit; addita edicto nota, qua ut indignum nobili Guinisiorum sanguine inurebat. Nec ideo infelices consiliorum exitus Florentinis pertinaces in Paulum iras minuebant: qui adversus conjurationes clementer agendo, nimis crebro bonitatis suae poenas dabat. Nam paulo post eorumdem instinctu Bonaccursus quidam Alde-

roctus Florentia ortus, una cum Joanne Baptista Lomellino genuensi, ac Ludovico Obicio lucensi jam pridem exule, ac hoste judicato, Paulum lucensi dominatu spoliandum suscepit. sed eadem felicitate, iis quoque insidiis in apertum pertractis, periculum omne discussum. Saluti quoque Ladislai regis victricia arma fuere: qui Arretio potitus Florentinis e proximo minabatur. Quare Obicio, cum copiis quarum dux erat, in eam partem profecto, Paulus et sua providentia, et amici regis victoria iterum servatus est. Nec minus felix in alia clade evadenda extitit, quam illi eorumdem hostium pervicax odium conflaverat. Excierant Florentini in Etruriam, quem Ladislao regi opponerent Ludovicum Andegavensem regio Francorum sanguine ortum; juvenem admodum, et florentinarum artium ignarum: Pisasque cum classe advectum, ab Alexandro, quem conventus pisanus tertium pontificem dixerat, tamquam Neapolitanum regem inaugurandum diademate imposito curaverant. ne felicior esset regnorum quam Ecclesiae conditio, Neapoli duobus regibus, ut Roma tribus pontificibus, lacerata. Sed nec ipsi satis fidentes, quem tamquam amicum accipiebant, IV. triremibus Arno invectum, ita in urbem intrare permiserant, ut eo cum paucis arma-

tis subeunte, classis extra consisteret: copiis quoque pedestribus equitibusque, quos ad MD. secum adduxerat, Pisis tendere prohibitis. Contra Paulus Guinisius, et regiis militibus terrestri itinere venientibus, per agrum lucensem prompte transitum dederat, commeatusque large suppeditaverat; stativaque in subjectis Aesari locis habentes omni ope juverat, quod illi salutare fuit. Balthassar Cossa unus ex purpuratis, bonouiensi praefectura; ac pene dominatione ea tempestate pollens, Ladislao infensus id struebat, ut lucensem Dominum ab eo divelleret Florentinisque conjungeret. qui vanum hominem praesenti potentia tumidum, majori etiam spe futuri Pontificatus, si quid Alexandro factum esset, inflabant. Is cum Andegavensi Pisis collocutus, suaserat ut in Paulum, tamquam Ladislai aemuli sui amicum, copias, quae ad Aesarem in pisano agro in castris erant, immitteret. ea re id profici ut lucensis vel metu cladis ipsi Florentinisque ipsius sociis conjugeretur. aut si in Ladislai fide obstinate perseveraret, fractis illata vastitate opibus, nec animo utilis, nec hostibus detrimento esse posset. Sed pravis consiliis plus in regis animo recens Pauli meritum valuit. „ Quippe adversus ea respon-
„ dit, nimium se ingrati animi notam subi-

„ turum, si eum a quo honos ipsi liberalitasque impensa foret, ea mercede rependeret. Florentinos verbis, et simulatione amicitiae, Guinisium rebus se ei benevolum ostendisse. evocatum se ab illis in Etruriam magnis pollicitationibus, quas inanes effectus probasset. quippe classem ipsius ingressu Pisarum prohibitam; milites ab ejus latere avulsos: seque pene in ordinem coactum, ac pueri instar ludibrio habitum „. Haec publice eo anno Paulo Lucensium Domino prospera evenere. illud privatae felicitatis extitit, quod III. Kal. octobris virili prole ex Placentina conjuge auctus est. puero lustralibus aquis expiando lectus Franciscus Uguccionius e purpuratorum numero, quem ab ejus urbis sacerdotio Burdegalensem appellabant: nomen ei Francisco impositum. Sive id avi memoriae datum, sive patri lustrico, seu verius utrique. neque tamen diu vitalis extitit, intra paucos dies non sine parentum moerore in caelum receptus. Sequens annus 1410 duorum regum belli apparatu, nec minus Pontificum discordiis turbidus magna expectatione non Italiae modo, sed et Europae totius gentes erexerat: hinc Ludovico Andegavensi novi regni possessionem, hinc Ladislao veterem retinere cupientibus. videbaturque fortuna causae An-

degavensis suffragium ferre, sub ipsas Kal. januarii Pauli Ursini ope, qui a Ladislao defecerat, Alexandri pontificis, ac ipsius nomine urbe Roma occupata: dejecto Ladislai praesidio, detractisque e pubblico illius, Gregoriique cui favebat, insignibus. inque eorum locum Ludovici ac Alexandri collocatis. Quare iis quae tanto bello opus erant comparatis, instructaque XII. triremium, et VII. navium majorum classe cum MMM. peditum, D. lancearioorum equitum numero, novus rex Massilia Joannem Genovardum lucensem, qui illi ab arcanis regni erat, ad Alexandrum florentinosque de rerum suarum statu docendos, auxiliaque insuper postulanda, ut communi consilio bellum gereretur, destinaverat. Eodem tempore Cossa Bononiensium praefectus Jacobum Vivianum lucensem exulem Florentiam miserat, ut ab ea republica et mutuam pecuniam, et auxiliares copias adversus Caroli Malatestae conatus impetraret, qui per eas romani sacerdotii turbas, ecclesiae imperium in illa provincia, pluribus oppidis in potestatem redactis, in dies minuebat. utrique a Florentinis spes, et verba pro re data: causantibus pecuniam sine consilii, ac magistratum jussu moveri non posse, idque longae molitionis esse: aucturumque ejus rei difficultatem, quod La-

dislai copiae e perusino agro digressae, irruptionem in florentinum agrum fecisse nunciabantur. quare aegre populum descensurum ut necessaria sibi argenti armorumque praesidia aliis concederet. Addebant nihilominus, modeste negantium formula, se honori petentium daturos, ut quid super ea statui posset etiam atque etiam considerarent. Cum hoc responso dimissi legati Genovardus ac Vivianus Bononiam perrexere, ubi Alexander pontifex Pisis primum, dein Pistorio digressus morabatur: quem morbo implicitum invenere, quo paulopost, V. videlicet Nonas maii, brevi X. mensium regno extinctus est: cui partis ejus patres XVI. Kal. junii Cossam, non sine ambitus suspicione subrogarunt, Ladislao regi inimicum, ac Ludovici fautorem; cujus etiam ope ad obtinendum sacerdotium usus ferebatur. quam dignitatem, ut non ita sincere partam, ita magno tumultu tenuit, novissimeque ejurare coactus est: nihilo meliore fama pontificatu adepto, quam abdicato. Agebat cum Ladislao rege Cajetae eo tempore Gregorius Pontifex max., eique inter belli apparatus, tamquam optimae causae defensori animum addebat. Illud certe non sine caelesti consilio evenisse videtur, quod qua die Bononiae Joannes renunciatus est Pontifex, regia Ladislai

classis cum classe Andegavensis in Ligustici maris ora commisso praelio insignem victoriam retulit: una navi demersa, V. captis; caesisque, aut marino fluctu obrutis supra mille hominum. Ferunt Gregorium sacris operatum in portum Cajetae cum rege descendisse, faustaque militibus nautisque elata manu apprecatum, certa victoriae spe confirmatos solvere jussisse. nec abfuisse omini fidem rei exitus, ut memoratum est, declaravit. Neque Gregorio partes suas firmante Joannes cessabat: sed statim literis nunciisque ad principes resquepublicas missis, in obsequium venerationemque sui trahere studebat. Paulus quoque Lucensium princeps per legatos admonitus, ut quae novo pontifici a christianis principibus impendi mos, praestare non gravaretur. ita Joannis animum gratia occupaturum, quem alias sibi parum propitium fuisse sciret. Legatis cum ambiguo responso dimissis, anceps cogitatio Pauli animum in diversa rapiebat. „ Gregorium ante a se ut terrarum „ parentem adoratum, hospitii jure conjun„ ctum, adversus Pisani conventus sententiam „ assertum: Ladislaum regem amicum, tot „ mutuae voluntatis pignoribus obstrictus de„ sereret? At si in eorum fide perseveraret, „ quid ab irato Cossa, ab hostibus florenti„ nis, a Ludovico Andegavensi ex propinquo

„ minantibus patiendum foret, non obscure „ apparere. Joannem etiam in privata fortuna „ voluntarium sibi hostem fuisse; quid nunc „ violatae majestatis, ac religionis pretextu „ facturum, si caeteris circa populis in ejus „ venerationem euntibus, solus ipse moretur „? His curis distractus, consilia in neutram partem expediebat. tutissimum e praesentibus visum, moras interim nectere, et quid dies ferret, sapienter expectare: neve interea vis aliqua imparatum opprimeret, intenta cura hostium consilia explorata habere. fraudi etiam cavendae, nonnullos militum praefectos Florentinorum ditionis, quamquam ad eam diem incorruptae fidei, exauctoravit, novosque, et unde nihil timeri posset, substituit. Sed ita cunctantem a pluribus purpuratorum, quos Lucae agentes beneficio sibi devinxerat, aliae atque aliae literae quotidie urgebant: « prope- „ raret Joannis animum ea gratia demereri. Sa- „ pientis esse tempori accomodare rationes: „ nec committere ut si quid adversis accidat, „ merito suo contigisse videri possit. non „ gravaretur ut verum pontificem colere, quem „ tot principes, tot respublicae jam venera- „ rentur. sibi, quantum in ea rerum nocte „ perspici posset, satis liquere eum legitime „ in terris Dei vices agere: caeterorumque,

„ qui se summos sacerdotes appellarent, al-
„ terum nunquam fuisse, alterum esse desisse.
„ manere illum cum caeteris apud posteros
„ ejus facti veniam, vel laudem, cum nec
„ solus saperet, nec solus erraret „. Haerebat tamen Pauli animus, id unum metuens, ne se in aliquam necessitatem conjiceret, unde regressus negaretur. Donec aliis literis eorumdem purpuratorum sollicitatus, Venetorum exemplo, qui cive deserto, Joannem venerari in animum induxerant, tandem vinci passus est, ut oratores ad eum salutandum gratulatumque novam fortunam mitteret. cum apud inimicum hoc officii genus prodesse plurimum; apud amicos sexcentis causis, quarum invicta in eo rerum articulo, necessitas erat, excusari posset. Missi igitur junio mense cum Nicolao urbis antistite legationis principe, Ciuchinus Advocatus, et Stephanus Podius: qui cum nobilium juvenum comitatu Bononiam profecti, benigne excepti auditique domum rediere: praeter Nicolaum antistitem, quem tamquam obsidem inter Aulae obsequia Joannes retinuit.

Inter caetera mala, quae per regum pontificumque discordias Italiae incubuerant, non ultimum pestilentia fuit: quae per autumnum exorta, morbis in corpora vulgatis, plerasque

urbium affiixit. Quapropter versis in religionem animis, irae caelestium placandae, Lucae solemne sacrum per plures dies peractum, supplicationesque habitae; et ex fisco levandae pauperum inopiae, pecunia a principe deprompta. Deique opt. max. mortalium preces non omnino aversantis benignitate, minimum ex eo malo Lucenses sensere. Eodem anno cum Robertus, in Vvenceslai locum rex romanorum electus, fato concessisset, septemviri comitiis habitis Sigismundum Caroli IV. minorem natu filium ei subrogavere; paternae gloriae aemulum, quique imperium germani socordia obsoletum in antiquum florem restituit. Eam designationem per certum nuncium, ut aliis Italiae principibus, ita etiam Paulo lucensi domino iidem septemviri significavere: nuncioque honos de more habitus. Haec eo anno gesta in annalibus reperio. Quibus addendum, Paulum Guinisium altera virili stirpe V. Kal. septembris ex Placentina conjuge auctum: pueroque Augustini Philippi inditum nomen. Laeta admodum Etruriae insequentis anni initia fuere (1), pace inter Ladislaum regem Florentinosque composita: quae quamquam regi non satis honesta, eam

(1) An. 1411.

tamen Joannes pontifex, et Ludovicus Andegavensis, romanique proceres, in ejus exitium conjurati necessariam faciebant. Itaque sapientiae fuit contumaciorem hostem sibi conciliare, ne ancipiti bello oppressus, dum adversus singulos pugnat, ab omnibus vinceretur. Inter pacis leges a rege amico foederato Lucensium principi cautum: Florentinique ab eo abstinere jussi. Approbavit regis consilium sequuta paulo post Joannis profectio, qui aprili mense, ut eum magis e proximo urgeret, Bononia Romam discessit: sequente enim cum caeteris Aulae ministeriis Nicolao Lucensium antistite. Joannis absentia libertatis recuperandae occasionem Bononienses advenisse rati, quod ab eo primum praefecto, mox pontifice avare et superbe imperitatum sibi crederent, extincto intra paucos dies eo ex purpuratis, quem illis praefecerat, sene ac pedum morbo invalido, ab ejus imperio civitatem avertere. Sed cum bellum sibi ab irato pontifice instare cernerent, ad sociorum auxilia imploranda conversi, Matthaeum Magnanum e patriciis ad Paulum Guinisium misere, ut CCC. peditum manum ab eo impetrarent. Legato benigne responsum: „ unum se omnium maxime bo-
„ noniensi populo favere; sed impediri reli-
„ gione quominus egregiam voluntatem in rem

„ conferret: recentibus adhuc cladium vesti-
„ giis, quas Castruccii tempore exutum in
„ romanos sacerdotes obsequium lucensi po-
„ pulo intulisset. Civitatem ea conditione di-
„ ris, ac execrationibus solutam, ut si con-
„ silia cum hostibus miscuisset, in eas iterum
„ se indueret. recitarique tabulas jussit ejus
„ rei testes ». Pronior, ut miti Paulus erat ingenio, conciliandis Genuensium, ac Florentinorum dissidiis. quippe utrinsque gentis oratu Fanum feroniae sedem paci firmandae concessit: quo cum se legati Florentinorum Bartholomaeus Populescus, et Nicolaus Uzanensis, Paulo prius officiose salutato, Genuaque Bartholomaeus Boscus, et Bartholomaeus Spinula se contulissent; pluribus ultro citroque agitatis, re infecta discessere. Eadem concordiae mentio sequenti anno injecta, quo ibidem cum legato Genuensium Joanne Baptista Montaldo, legatisque Florentinorum Nicolao Uzanensi, Bartholomaeo Tando, et Cardinali (id homini nomen) Oricellario, Paulus Guinisius tamquam medius praesto fuit, irrito etiam tum conatu: donec tandem anno 1413. V. Kal. aprilis iidem legati, qui superiore anno ab utraque republica missi fuerant, Lucae in D. Romani aede palatio proxima, coram lucensi domino pacem

sanxere: in eas leges, quas Paulo conciliante, una cum quodam e Carmelitarum ordine insigni sapientia monacho, ac in agendis negociis dexteritate accepere. cujus foederis lex Lucae icti, a rerum florentinarum scriptoribus omissa, ab Interiano, qui Genuensium res brevi stylo complexus est, perstringitur; Sercambio, qui coram interfuit, in ejus temporis commentariis latius memorata. Nec annonae minus, quam pacis studiosum Paulus se ostendit. Eo anno seu caeli inclementia, seu Numinis ira, tam maligne arva creandis frugibus obsequium praebuere, ut tota Italia, collectis in horreum frumentis, vix in quatuor menses victum sulfecturum repertum sit. unde primo caritas, deinde fames timebatur, nisi sedula principis cura, frugibus undique, tam ex agro, quam e nationibus exteris convehendo, imminens malum avertisset. misso etiam in Liguriam, ac inde in Galliam provinciam Gulielmo a Porticu, qui gratioso per eam oram lucensi domino, cum exportandi frumentum commeatum impetrasset, cum navi XXIV. millium modiorum onusta Genuam appulit. Sed cum Genuensis urbs ipsa quoque annona laboraret, aegre magnoque ambitu impetratum, ut Genuenses XI: millia modiorum efferri paterentur. neque tamen pretium in

singulos modios XI. nummorum bononiensium summam excessit, cum antea octonis aestimaretur. Panisque forensis, ut in summa ubertate, pondus candoremque servavit. dataque facultas iis, qui in agro, ac oppidis erant, exportandi ex urbe farinam milio confectam, septenis nummis bononiensibus in singulos modios. majorque utilitas extitisset, nisi cui illa curatio demandata erat, privati compendii spe, omissa navi oneraria XXV. millium modiorum in genuensi portu in Galliam navigasset. unde VII. mensium mora, dum convehitur, dum exportatur, dum apud Genuenses haeret, inde consequuta, inopiam caritatemque produxit. Eodem anno Simon Simonius aerarii praefectus, haud integra fide pecuniam principis tractasse convictus, praefectura spoliatus, ac urbe exire vetitus. Lecti quoque novem praetores, qui intra sex mille ab urbe passus populo jus dicerent; vagos inertesque in exilium pellerent; sali viritim dividundo, tributisque exigendis, nec non pontibus reficiendis, viarumque muniendarum curationi praeessent. Mercatoribus etiam sericae artis novae leges datae, eisque minorum artium opifices subesse jussi. pretia quoque mercium, rerumque venalium, coercendae institorum avaritiae, aestimata; multaque indicta iis qui carius distraxissent. Qui

proxime excepit annus (1), rem maxime utilem publicae privataeque rei attulit. Quippe Paulus Guinisius, seu novi tributi indicendi causa, seu litium finiendarum certis possessionum limitibus, opus dimetiendi lucensis agri intra sex mille àb urbe passus, adjecta portione regionis montanae, curae laborisque immensi coeptum biennio ante, hoc anno absolvit. pluribusque voluminibus compraehensum, publico tabulario ad usum posteritatis inclusit: manetque praeclarum opus ad haec tempora, maximo usu veteribus fundorum dominis, eorumque spatiis inveniendis: patetque in dies quid possessorum incuria, aut vicinorum fraude, alteri detractum sit, alteri accesserit, praedia ad eas mensuras revocando. Alia quoque salubriter litibus praecidendis Paulus hoc anno constituit: numeroque civium augendo, civitatem Bonfilio Firmano dedit, a quo nobilis Bonfiliorum familia ortum ducit. Et lucensis quidem civitas eo tempore, finitis unius imperio civium discordiis, principisque sui sapientia externis hostibus intacta tranquille agebat. Non idem caeteris Italiae populis otium: praecipueque hoc auno in Insubria turbatae

---

(1) An. 1412.

res, morte primum Facini Canis, qui Mediolanensis reguli socer, genero vitiis, ac voluptatibus juveniliter exultante, imperii molem sustinebat: deinde ejusdem reguli caede, intra paucos dies ab excessu Canis sequuta. quem superbia, et crudelitate subjectos prementem, victa demum nobilium patientia, in flore aetatis, (agebat quippe aetatis annum XXII.) vulneribus confossum, patriae cervicibus depulere. Sed Philippi Mariae, qui conjuratorum manus evaserat, principatu pax reipublicae reddita; sumptumque supplicium de iis, qui se principis sui sanguine foedaverant. Astorgio etiam Vicecomite filio Bernabonis ex furtivo conjugio, qui per seditionem a quibusdam regulus mediolanensis consalutatus fuerat, intra breve tempus extincto. Insequenti anno (1), quod ad res lucenses attinet, Paulus laxando curis animo, regias antiqui operis aedes, hortosque ad amoenitatem excultos in suburbano ad D. Francisci aedem extruxit: tanta magnificentia, ut ad XL. aureorum millia in id opus impensa memoriae proditum sit. Palatium veteris potentiae vestigium adhuc manet, translatum a principis ad populi voluptates; in-

---

An. 1413.

genti aula ludis scenicis destinata. Ineunte vere hujus anni Sigismundus imperator, finiendi dissidii cupidus, quo jam diu christiana respublica laborabat, per Alpes Julias cum exercitu in Italiam transgressus, Comum primo, inde Laudem Pompejam petiit. Advenienti legationes Italicarum urbium praesto fuere. Neque huic officio Paulus defuit, misitque cum donis ad eum salutandum legatos Nicolaum Monciguluim, Guidonem Manfredum, qui illi a secretis erat, et Nicolaum Arnulphinum, quem e prima nobilitate jamdiu in consilium adhibebat. qui a Caesare cum honore excepti, augusto mense cuncta prospera nunciantes Lucam rediere. Adfuit quoque sub anni finem Joannes pontifex, qui ex florentino agro, ubi Roma a Ladislao occupata fugiens, intra urbem regis metu a Florentinis non receptus, aliquot menses substiterat, novembri mense Laudem Pompejam ad colloquium Caesaris profectus est: evocato ad se ante Nicolao Guinisio Lucensium antistite, cui ut juveni ac strenuo, copiarum suarum imperium detulit: non veritus ab aris sacrisque ad castra et gladios initiatum hominem traducere: cum et ipse is esset, cui, ut scriptor eorum temporum proximus memoriae prodidit, magis placerent arma, quam cruces. In eo colloquio, quod jam ante Joan-

nes per legatos egerat, de cogendo Constantiam Germaniae urbem ex universo christiano orbe patrum consilio, iterum decretum, detestabili discordiae finiendae. quod in sequentis anni Kal. novembres indictum, salutem tandem christianae reipublicae attulit, ut suo tempore memorabimus (1). Insequens annus magnum Paulo Guinisio amicum, nec minorem Florentinis inimicum sustulit, Ladislaum regem: eosque tandem ingenti cura exolvit, quam ex tam pertinaci ac magnanimo hoste conceperant. non sine suspicione mortis eorum fraude properatae; sublatum quippe veneno ipsis curantibus, in medio annorum ac victoriarum cursu fama vulgavit. cuivis superiorum aequandum regem, belloque ac pace egregium, si fides, obsequiumque erga romanos pontifices interdum non abfuisset. Rationem insidiarum narrant eorum temporum scriptores, non satis dignam, quae his annalibus inseratur. Tristis ea mors lucensi domino accidit, et regem et amicum dolenti: cum etiam mite illius ingenium inimicorum calamitate moveretur. Cujus insitae clementiae specimen hoc quoque anno praebuit, Nicolao Guinisio, quem contra ipsum

(1) An. 1414.

cum hostibus sensisse supra memoravimus, patriae, ac benevolentiae suae restituto. eadem clementia revocavit ab exilio Nicolaum et Thomam Quartigianos primae nobilitatis. quosdam etiam mascula venere infames, obque infandum scelus a praetore urbano Joanne Malespina igni damnatos, supplicii acerbitatem leniendo, securi percuti jussit (1). Insignem, qui sequutus est, annum reddidit Gregorius XII. Constantiae in sacro patrum consilio, per Carolum Malatestam pontificatu abdicato. quem ejus procuratorem, non secus, ac si pontifex max. extitisset, ejus majestatis amictu velatum in solio consedisse: moxque recitata abdicationis forma, cultu pontificali deposito descendisse, memoriae proditum est. Avidiorem potestatis retinendae Joannes se praebuit, ob eam causam in carcerem conjectus, eique patrum sententia, quam ipse deinde ratam habuit, abrogatum imperium. Benedictus, qui tertium pontificem agebat, licet ejus pertinaciae vincendae Sigismundus imperator in Hispaniam Tarraconensem ad eum venisset, male partam dominationem ponere recusavit. homo inveteratae pravitatis, et usque ad extremum spiritum contumax.

An. 1415.

unde sacra ac intestabilis ejus memoria apud posteros mansit: cadaverque extincti profano loco, sine cantu, ac solemni exequiarum pompa abjectum. Alta et tranquilla pax, qua tum benignitate numinis, tum principis sui sapientia respublica fruebatur, scribendi materiam non satis amplam, annalibus nostris praebet. Nec ideo conciliandae operi majestati, impio voto, aut externorum hostium vim, aut domesticas clades optaverim. Juvat potius aut legationum splendorem, aut funerum, nuptiarumque apparatus, quam aut oppidorum direptiones, aut incendia villarum, aut civium caedes, aliaque, quibus honestum virtutis nomen obtendimus, scelera publicis monumentis inserere. Hoc anno Paulus novum decus in familiam intulit, venetae nobilitati, clarissimaeque illius reipublicae senatui una cum posteris adscriptus. Nec praeter Philippae, quae illum genuerat, mortem, quicquam fere memoria dignum contigit. Funus et filii pietate, et magnificentia principis, in aede D. Francisci ei a Paulo celebratum, corpusque Guinisiorum sepulchro illatum. Cujus faeminae amplitudinem, praeter Antelminellae familiae splendorem, et cuivis magnarum reginarum nomen daturum Castruccium cognatum, vir natusque ingenti cumulo auxere: quorum alterum pa-

triae parentem. alterum principem aspexit. Cautum quoque lege eo anno, ne quis a lucensi agro sine commeatu in alias terras migraret: senensiumque mercatorum res, Balthassare Guinisio flagitante retentae: qui negatum sibi jus privatae rei ab ea republica querebatur (1). Philippae matris funus sequenti anno Placentinae conjugis ex immaturo partu mors consequuta, Pauli dolorem integravit. defuncto corpori par dolori honos impensus: illatumque nobilium faeminarùm Guinisiae domus sepulchro ad D. Luciae aedem. Eodem anno Paulus Lucchii incolis (vetustissimum id lucensis agri oppidum ad Pistoriensium fines in montanis situm) immunitatem omnium tributorum onerumque concessit: ea lege, ut tres aureos in singulos annos, agnoscendae dominationi, principis fisco inferrent. Indulsit etiam oppidanis Campi majoris, ut in consilio, ac magistratibus legendis, Quadrantium in quos divisum oppidum erat, ordinem minime servarent: quod ab initio tamquam salubre constitutum, experiendo secus repertum erat. Nonnulla quoque litigantium utilitati constituit: civitatemque Berto Bartholomaei filio, Belgradi

---

An. 1416.

nepoti Miniatensi dedit: unde nobilis Altogradorum familiae origo! ex qua nuper Laelium vidimus, humani divinique juris consultissimum antiquisque Sulpiciis, ac Paulis comparandum (1). Insequens annus, si quisquam alius salutaris christiano orbi illuxit: pestifera discordia, quae romanum sacerdotium tamdiu vexaverat, Martini V. renunciatione tamdem extincta. ut propterea temporum suorum felicitas, non minus gloriose, quam vere appellatus sit: cum Gregorius XII. paulo ante Aeliae Ricinae in Piceno post abdicatum sacerdotium decessisset, antequam partae per eum publicae pacis gaudio frui posset. Martinus cum in Germania a die III. idus novembris, qua pontifex maximus creatus est, usque ad diem XVII. kal. junii sequentis anni substitisset (2); in Italiam profectus, facto per Allobroges itinere, superatis Alpibus Mediolanum, ac deinde Mantuam octobri mense pervenit. Paulus adventu ejus audito, ad illum, et ut orbis terrarum parentem, et ut veterem hospitem atque amicum salutandum, honestissimam legationem destinavit, principe illius Nicolao Guinisio Lucensium an-

---

An. 1417.
An. 1418.

tistite; adjunctis ei Nicolao Moncigulo, et Augustino Fivizano: qui pontifice Mantuae convento, ab eoque benigne excepti, cumque magna benevolentiae significatione dimissi Lucam rediere. Et quidem egregiae hujus voluntatis in rem conferendae, quae consequuta sunt tempora, occasionem praebuere: multumque illi laboratum est, ut Lucam a cupiditate armisque Florentinorum servaret. Hic annus diuturnae pacis tenorem, non bello, sed subito tumultu turbavit: qui tamen simul exortus extinctusque est. Florebat ea tempestate armorum gloria Braccius perusinus, qui patriae dominatu, occupatisque plurimis pontificiae dominationis circa oppidis, ipsi etiam romanae urbi illato terrore tumidus, cunctis minabatur. Hic, sive copiis, quas sumptu suo non posset, latrocinio alendis, sive occulte irarum causae in Guinisium suberant, per Senensium, Florentinorumque fines tanta celeritate in lucensem agrum impetum fecit, ut nuncios, famamque adventus sui praegressus, ante ad portas urbis adesse visus sit, quam venturum eum quisquam suspicari posset. Nec fefellerat omnino, nisi perfidia, ac proditio indicium suppressisset. Quippe Nicolaus Mannus civis lucensis, qui in exercitu Braccii militabat, eo consilio cognito, patriae caritate

clam literas ad Guidonem Manfredum, omnium arcanorum Pauli, totiusque dominationis arbitrum dederat, ne Lucenses incauti opprimerentur. eas literas, mutata tum primum adversus dominum fide, Guido suppresserat: quare, ut in longa pace, cum nihil metueretur, soluti metu, tam in urbe quam in agro cuncti agebant. Paulus ipse imminentis cladis inscius, sive in suburbanis hortis coepto operi instans, sive in massensi villa, id enim a nonnullis traditur, quae a Castruccio quondam aedificata, dotali jure ad eum pervenerat, laxando animo diversabatur. Braccius Arno trajecto expeditam equitum manum praedatum in lucensem agrum immisit. ipse paulo post insequutus, divisis in plures partes copiis, et tamquam pugnandum foret instructis; dum equites praedabundi per pagos villasque discurrunt, repente ad portas apparuit. Paulus tumultu ac trepidatione agrestium excitus, citatis equis in urbem propere advolans, e manibus hostium elapsus est: clausisque portis, ac propugnatoribus raptim per muros dispositis, omnia quae aut subitae oppugnationi, aut diuturnae obsidioni ferendae necessaria sunt, summo studio comparabantur. Braccius spe sua frustratus, qua posse Paulum inopinato intercipi sibi persuaserat, simul ingentem

auri vim, quam ex ejus redemptione jam cupiditate devoraverat, amissam reputans, ira in agrestes versa, cuncta passim vastando diripiendoque hominum pecorumque praedis actis discurrit. majorque clades accepta, quod magna pars civium colligendis fructibus in agris erat. Paulus calamitate suorum motus, pacemque, quam bellum retinendae dominationi aptiorem satis gnarus, simulque reputans ferocem hominem, latrocinio magis quam victoria gaudentem, facile oblato pretio placari posse, missis qui cum eo agerent, pacem his conditionibus sancivit, ut intra biduum L. aureorum millia Braccio repraesentarentur: ipse captivos praedamque remitteret, agroque lucensi excederet. ea summa partim praesenti pecunia soluta, partim per florentinos mensarios perscripta. atque ita sapienter arma auro redempta. Neque diu Guidonis fraus latuit; auxitque fidem Mannus paulo post ducis jussu interfectus in castris: Braccio videlicet de ejus literis per Manfredum admonito. Paulus fallacem hominem ac novissima meritum, a latere suo amovisse contentus, exitiali sibi clementia vivere permisit. quippe paulo post Luca profugum, arcanis tabularum monumentis secum avectis, cum Fulginio primum clausisset: deinde eadem facilitate mutatis relega-

tionis finibus Senas translatum, florentini belli incentorem habuit: quo diu implicitus, civibus externisque gravis, dominationem amisit. Neque tamen Guido perfidiae suae fructum coepit. quippe Genuae, quo se tandem contulit, ad summam inopiam redactus, misere periit.

Braccianae cladis occasione, cum multae inter agrorum dominos controversiae exortae essent, sequenti anno (1) Paulus iis dirimendis V. viros creavit, qui causa summatim cognita ex aequo bonoque transigerent. pretia quoque publicarum tabularum, avaritia scribarum modum egressa, ad certam summam coercuit. Cumque eo anno Martinus pontifex maximus Florentiam venisset, Paulus, quamquam priori legatione summi sacerdotii majestatem veneratus, tamen cum honorifico ac splendido nobilium comitatu, Ladislaum filium ad eum salutandum misit. Ea legatio omnium ora oculosque in se convertit. Quippe juvenis quintum decimum annum nondum egressus in ipso adolescentis aetatis flore, eximia specie, corporis, quae indolis fortunaeque magnitudinem ostenderet, ipsumque paternae,

(1) Ann 1419.

maternaeque nobilitati non imparem. advenientem magno honore Florentini excepere: ab eoque vicissim in hospites officiis certatum. Exceptus publice est in Tedaldorum domo, in qua juvenis princeps regio apparatu maximum urbis magistratum convivio excepit; expositisque pontifici maximo supremisque reipublicae rectoribus quae pater mandasset, Lucam reversus est: egregia de se expectatione, non exteris modo, sed et parenti facta, ut proinde eum biennio post principem eorum, qui sibi in consilio adessent constituerit; volueritque ea rata haberi, quae is cum tribus collegarum sanxisset. Sed prius ad continendas adolescentiae cupiditates conjugii sanctitate, sequenti anno (1) nobilem virginem e Varania Camertium principum domo, unde novissima ipsi conjux, matrimonio illi junxit: copulata sibi eodem die Jacoba Ugolini Trincii Fulginatum dynatae filia. Nuptiae geminata patris natique laetitia insignes fuere: eo splendore apparatuque celebratae, qui ducentium nubentiumque fortuna dignus esset. Nec principe tantum domo gaudium coercitum; sed in vulgus quoque manavit, laxatis carceribus, certoque noxiorum

(1) Ann. 1420.

obaeratorumque numero libero esse jusso. Qui tres proxime consequuti sunt anni (1), nihil memoratu dignum habuere. Anno 1424 cum Paulus principatus sui tempore multa salubriter ad reipublicae administrationem constituisset, iis in unum corpus redigendis IX. viros legit, addendi detrahendique potestate facta; ita ut quod ipsi probassent pro lege haberetur. Fuere ii Nicolaus Manfredus, humani divinique juris scientia ea tempestate nobilis, Matthaeus Chelli Podius, Nicolaus Burlamaccus, Nicolaus Arnulphinus, Dominicus Lupardus, Laurentius Bonvisius, Ciuchinus advocatus, Paulus Balbanus, et Joannes Berindellus. Eodem anno obiit insignis vir Joannes Sercambius, Pauli fortunae auctor, illique ad extremum spiritum fidus. manu, et consilio strenuus, nec belli minus quam pacis artibus clarus. A nonnullis tamquam libertatis proditor male audit: sed articulos rerum aestimanti, potius servator, quam eversor. Scripsit temporum suorum commentarios, tenui quidem orationis filo, sed in quibus agendarum rerum prudentia emineat. cujus fidem si quis studio partium elevare velit, aut certiora afferat necesse est, aut iis

(1) Ann. 1421. 1422. 1423.

acquiescat, ne dum alteri adulationis crimen conatur impingere, ipse subeat invidiae. Sequenti anno (1) fortuna Pauli felicitatis pertaesa, struere causas coepit. quibus eum dejiceret. Florentinis, semper italicis dominationibus infensi, suspectae erant reguli mediolanensis opes. metusque incesserat, ne genuensis reipublicae principatu, multisque Flaminiae civitatibus novissime auctus, vicinis gravis Etruriae statum convelleret. Quare ad consuetas artes versi, odiis italorum principum in eum incendendis, qua literis, qua legationibus eum pervertere tentaverant. excito etiam ex Hispania tarraconensi Alphonso rege, ut filium cum regia classe in Italiam submitteret. adeoque consilia processerant, ut eodem tempore regulus cum rege, cum Venetis, cum Florentinis, regulisque Allobrogum, Ferrariensium, et Mantuanorum, ac Helvetiorum populis bellum haberet. Per hujus belli initia cum Paulus equitum peditumque manum, velut in rerum suarum tutelam comparasset, ac in neutram partem inclinaturus videretur, tandem Ladislai filii ductu DCC. equitum, totidem peditum manum mediolanensi regulo in

(1) Ann. 1425.

auxilium submisit: ut insigni illo tot principum gentiumque communi bello, militiae tyrocinium poneret, iterque sibi ad famam gloriamque, illustri aliquo virtutis facinore aperiret. Nec eum spes fefellit. Nam Ladislaum Guinisium, hostibus Brixiam oppugnantibus, in mora fuisse ne tam facile caperetur: copiisque Allobrogum, dum regulus apud Cremonam haeret, vercellensem agrum ingressis, late etiam Mediolanum usque perlato terrore; Guinisii adventu illarum impetus retardatos, ejus belli scriptores (1) memoriae prodidere. Sed cum id auxilium sero et gravate misisset, nec apud regulum magnam gratiam inivit, et ingentem cum Florentinis contraxit offensam, a quibus M. equitum praefecturam filio oblatam repudiaverat. Quare pace tandem composita, cum utrinque amicis caveretur, Paulus Lucensesque Florentinorum arte a regulo praeteriti fuere. Verum ut eum vana spe fallerent, ipsi suis amicis adscripsere. Nec eam rem etiam suscepto jam in Paulum bello inficiati sunt: ut proinde ignoratione veri lapsum oporteat, qui socium quidem lucensem dominum verbo a Florentinis appellatum; sed id in foederis tabulas referri veti-

(1) Corius et Ammiratus.

tum, ne coargui possent, memoriae prodidit. Sensit Paulus quid in se Florentini molirentur; quare missis oratoribus veterem amicitiam redintegrare studuit. Sed belli causas quaerentibus difficile erat satisfacere. Quidam auxilia mediolanensi regulo submissa, filiique adolescentiam odio florentini populi initiatam: alii pecuniae summam ex veteribus reliquis deberi objiciebant. Sed verae causae, vetus nempe odium, cupiditasque promovendae dominationis in occulto erant. quae ut apud obstinatos inexpiabiles, ita palam objectae facile purgabantur. nam et filium ea lege miserat, ne contra Venetos Florentinosque arma ferre cogeretur: et si quid creditae pecuniae apud eum resideret, diluebatur facillimo responso, eam solvi. quemadmodum et re factum, XIV. aureorum millibus, quae reliqua dicebantur Florentinorum aerario persolutis. Sed cum hinc ratio, inde cupiditas animos in diversa distraheret, haec tandem vicit. bellumque jam et arma sederant, modus quaerebatur. Sed ambitionem profiteri palam, abjecti pudoris. Itaque callidis ingeniis clam atque insidiis aggredi placuit, alienaque manu inchoare; ut non tam ipsi auctores, quam si quid accidisset, accessio belli fuisse crederentur. ita Lucensi apud eos causanti, ita

caesari, ita pontifici maximo caeterisque principibus ea de re conquerentibus obviam iri uno verbo, lucense bellum ad eos minime pertinere. Praecipuas ejus consilii partes suscepit Raynaldus Albicius, Paulo Lucensibusque ante alios infensus: non famae gloriaeque, ut tunc creditum, sed ut re patuit, pecuniae praedaeque avidus. tantumdem invidiae improspero eventu, qnantum gratiae popularis in decernendo inchoandoque bello adeptus. Usi erant Florentini Nicolai Fortebraccii opera, in revocandis ad obsequium Volaterranis, qui auctore Justo quodam ex infima plebe, ab eorum imperio defecerant. Eum, pacatis jam rebus cum dimissuri essent, hanc inferendi arma Lucensibus viam inivere. Fortebraccium Albicio hortatore aggrediuntur, suadentque ut suo nomine lucensem agrum invaderet, tamquam Paulus summam cum Braccio pactam integra fide non persolvisset. ei veluti Braccii sorore genito, avunculi rationes persequi jus fasque esse. ipsos deinde adfuturos coeptumque bellum persecuturos. Erat Fortebraccius eorum hominum, qui illius saeculi more, latrocinio vivere assueti, nihil magis quam pacem inimicum habent. Quare oblata lucri spe (quamquam ut ratio constaret, nihil ad se pertinentis) alendique alieno sumptu

copias, quas ad MM. peditum equitumque secum habebat, avide occasionem arripuit. Eo consilio inter eos inito, Florentini ut omnem suspicionem a se amolirentur, simulata missione Fortebraccium domun remisere. qui per maritimam Senensium oram iter ingressus, non modico eis terrore illato, repente signa convertit; perque pisanos fines in lucensem agrum novembri mense anni 1429 ab Oriente ingressus, subita clade omnem regionem circa Arnum lacumque, cui Sexto nomen est, involvit: ferro ignique cuncta passim populando, praedasque hominum pecorumque agendo. Capta primum munitione quadam, inde Rota, valido ejus regionis oppido potitus: unde tamquam ex tuto ad latrocinium praedasque villarum excursus. tanta felicitate ut usque ad suburbanum D. Columbani pagum, montemque Sanquiricum urbi imminentem vastando incendendoque progressus sit: munitionibus utroque in loco excitatis, praedae ac manubiarum receptum, urbique ex propinquo terrorem. Paulus improviso malo perculsus, quamquam tuendae urbi necessaria strenue compararet: tamen diuturna pace militarium rerum desuetis omnia tardiora erant: externorumque militum praesidio, in quibus nervi et robur belli, non satis valida civitate, alienam opem

implorare cogebatur. Igitur in ea trepidatione propere legatum Florentiam misit Urbanum Guccium, ac deinde Jacobum Vivianum, qui reipublicae rectores doceret, quae ab eorum duce per eos dies hostiliter in lucensi agro facta essent: simulque oraret, ut pro imperio eum abstinere praeciperent. Sin dicto parere recusasset, in contumacem auxilia sociali jure submitterent. Responsum legatis, florentinum populum quae in lucensi agro facta memorentur, infecta velle: nec eo auctore illa accidisse. Fortebraccium missione solutum sacramento, suique arbitrii esse, eaque auspiciis ductuque suo gerere. daturos tamen operam, ut quod imperio non possint, precibus obtineant. de auxilio, vereri se ne offensum hominem ab alieno exitio in suum verterent. Haec simulate, et in speciem tegendis consiliis jactata. caeterum adeo Florentinorum omnium animos belli cupiditas occupaverat, ut nulli tota urbe sermones quam de lucensi bello miscerentur. id unum in foro, in compitis, in tabernis jactari. adeoque etiam ad imperitum vulgus ea rabies manaverat, ut pueri quoque, ac foeminae, ac purgamenta urbis, importunis vocibus publice arma, bellumque in Lucenses flagitarent. Sponte sua ita furentes, incendebant allatae quotidie a Fortebraccio literae, quibus si subsidia mitterentur, intra paucos dies Lucam

in potestatem suam redacturum spondebat. esse sibi cum quibusdam civium occulta consilia, quorum ope sub adventum exercitus una portarum urbis traderetur. proinde maturarent quae facto opus essent, ne aliquando spretam occasionem sero requirerent. Urgebant insuper praefecti, qui finitimis lucensi agro regionibus imperitabant; crebris nunciis significantes, paratam defectionem: et si in fidem se recipiendos certo scirent, plerosque oppidanorum lucensis agri in florentinam ditionem concessuros. Nec deerat domesticus hostis Vivianus, palam ut legatus auxiliorum petitor, clam, ut proditor, belli in dominum suum concitator. quippe alias proditionis in Paulum reus, ejusque beneficio servatus, stultae clementiae poenas ab eo reposcebat. paria exul Manfredus moliebatur, qui olim Paulo sponte infidus, nunc ab eo in exilium pulsus, magis valida apud ingratum animum injuriae, quam beneficii memoria, irasci in illum jus fasque credebat. Nova quoque odiorum in Paulum fax amicitia Senensium erat, quibus tum Florentini irascebantur. Nam et Ladislaum filium paulo ante in eorum subsidium cum CL. hastatorum turma submiserat: et Antonius Petruccius senensis ad praeturam urbanam ab eo evocabatur. Deerat tantummodo animis sponte calentibus publica auctoritas: sed eam quo-

que diu deesse passus non est Thomas Barbadorus, qui summum magistratum gerebat; ex eorum numero qui bellum optabant. Nam urgente Anastasio Guiduccio collegarum uno (1), quem penes imperium collegii eo die erat, signum e turri palatina dari jussit, qua publicum consilium in curiam vocaretur. Convenere festinato paulo minus D. hominibus, tanta alacritate, ut non consilii, bellum et oppugnationem unius urbis suffragiis decreturi; sed exercitus jam captae praedam ac spolia divisuri species esset. plebe interim undique in forum viasque curiae proximas concursante, Lucamque captam jam ac expugnatam clamitante. adeo caeca cupiditate, victoriae fructum ante bellum ipsum praeceperant. Ubi patres frequentes adesse constitit, cunctique in subselliis de more taciti consedere, Guiduccius referre coepit de lucensi bello. » ejus rei gratia eos in curiam accitos, » si quis de eo quod relatum esset, verba facere » vellet, se potestatem facere. certe si unquam, » illud tempus esse quod liberas fortesque sena» torum voces requireret ». Magno assensu Guiduccius auditus est: et quamquam nonnulli conversis repente animis, concupitum antea bellum,

(1) Proposto.

seu rei difficultate, seu ne diversae factionis hominibus consentirent, aspernarentur; tamen adeo effusa erant maximae partis studia, ut si protinus in suffragia itum esset. legem de bello perlatum iri appareret. cum Nicolaus Uzanensis, vir aetate usuque rerum magnae auctoritatis, gravi oratione impetum animorum nonnihil coercuit, loquutus, ut fama est, in hunc modum. » Etsi vereor, ne animis belli cupi-
» ditate occupatis, supervacuus hortator pa-
» cis accedam, tamen et causae honestas, et rei
» difficultas non modicam mihi spem faciunt,
» ut, quoquo animo audiendus sim, libere
» de republica dicam, quod sentio. certus,
» quantum mente usuque rerum perspicere pos-
» sum, si ratio praesens non vicerit, olim
» me, quot nunc erunt obtrectatores, toti-
» dem sententiae meae adstipulatores habitu-
» rum. cum, iniquitate rerum ita comparatum
» sit, ut optima consilia non nisi spreta no-
» scantur. Bellum igitur decreturi huc conve-
» nimus; constantia magistratuum victa vulgi
» sermonibus, victa importunis inertium voci-
» bus, quod fari pudet, etiam foeminarum pue-
» rorumque clamoribus; quos aut sapientia re-
» gere, aut gravitate contemnere debuerat,
» nos in hunc locum adduxit. tantamque vi-
» deo alacritatem bellum cupientium, ut hoc

» ipsum, quod suffragia dicendo moror, inviti
» patiantur. Sed si me audire volent, morae
» ac patientiae arbitror pretium futurum. Bel-
» lum mihi quoque placet, sed si justum, si
» honestum, si facilem felicemque exitum ha-
» biturum. pleruinque enim virtuti fortunam
» Deus innexuit: raroque contingit ut arma
» eadem non justa sint ac felicia. Sed qua
» ratione justum honestumque id bellum ap-
» pellabimus, quod suscipitur contra amicum,
» suscipitur contra socium, suscipitur contra
» eum, quem nuper ipsi foederatis adscripsi-
» mus? Jamne excidit nobis, in tabulis novis-
» simi foederis, quod Ferrariae nuper cum me-
» diolanensi regulo ictum est, Paulum Guini-
» sium, Lucensesque, florentini populi amicis
» sociisque adscriptos? quid ex eo tempore
» illi in nos peccavere, quod bello armisque
» vindicandum sit? novi, inquiunt, nihil pec-
» catum est, sed veteres causas persequimur.
» Paulus in nos Ladislaum regem immisit:
» foedus cum illo contra nos sanxit: armis
» ac commeatu saepius juvit. et ne vetera et ob-
» soleta memorentur, idem nuper mediolanen-
» si regulo bellum adversus florentinum popu-
» lum gerenti, cum nobiscum foedere junctus, es-
» set, auxilia submisit: maximum natu ex liberis,
» et aliquando principem futurum, odio floren-

» tini populi imbuit, ut haberet malignitatis
» suae haeredem, qui post ipsum quoque re-
» bus nostris adversaretur. Video quanta cum
» invidia haec ad aures imperitorum jacten-
» tur. nec ego nunc lucensis domini patronum
» agam; quem per oratores suos gestorum
» suorum rationem reddidisse satis scio. cun-
» cta ad unam hanc brevemque summam re-
» voco. respondeant mihi velim, qui haec
» tanto verborum ambitu exaggerant: utrum
» quando Ferrariae foederis tabulae confi-
» cerentur, cum lucensem dominum amicum
» sociumque scriberemus, ista ignorarentur?
» nihil minus. cum igitur ea in omnium me-
» moria animisque haererent, illud a nobis ju-
» dicatum necesse est: eum aut non contra nos
» fecisse, aut si fecit non imputasse. ergo
» socium illum amicumque scribendo, si extra
» noxam fuit, absolvimus; si reus, ignovimus.
» Scio nonnullos importuna subtilitate (1) ver-
» ba foederis ita interpretari, ut dicant: popu-
» lum florentinum mediolanensi regulo, ejusque
» sociis ex foedere teneri. at nihil cum ami-

---

(1) Hanc subtilitatem affert Leonardus Aretinus in epistola ms. qua respondet epistolae Lucensium nomine scriptae. et eam Ammiratus affert ex persona Raynaldi Albicii.

» cis sociisque suis pepigisse, sed tantum a
» regulo eis cavisse. ut non proinde violatas
» foederis leges existimari possit, si adversus
» illorum quemquam arma susceperint. Sed
» aliud est cavillose affirmari, aliud cum fide,
» et ut dicitur, cum bonis bene agere. Igitur
» cum lucensem dominum a mediolanensi re-
» gulo avellebamus, eumque nostris amicis so-
» ciisque adscribebamus, eum fraude ac insi-
» diis circumveniebamus: neque id agebatur ne
» ei regulus ut amico nostro nocere, sed ne
» illi contra nos auxilium ferre posset, nosque
» illum tanto praesidio nudatum facilius op-
» primeremus. quid est aliud palam cupiditates
» profiteri: et quod turpissimum est, amicitiae
» obtentu latrocinium agere? Jam nos ipsi
» agnoscimus quod dudum per Italiae populos
» vulgo insidiose jactatur, Florentinos ad Etru-
» riae totius principatum adspirare: nec quie-
» turos unquam, donec qua jure, qua inju-
» ria, omnes finitimae urbes jugum accipiant.
» Incredibile est quanto in odio simus apud
» caeteras nationes ob hanc regnandi libidi-
» nem. Pisas paulo ante adepti sumus: iis in
» potestatem redactis Cortonam appetivimus:
» nec ea contenti Lucam nunc aggredimur,
» quam adepti Senas deinde corripiemus. ita
» omnibus invisi, ac suspecti, dum a cunctis

» metuimur, omnes timebimus. Sed, esto, bel-
» lum honestate ac justitia nitatur; scire ni-
» mium pervelim ab his qui jam Lucam spe
» et opinione hauserunt, quibus nam funda-
» mentis eorum spes incumbant. nonne civi-
» tas illa, et munitionibus et operibus valida;
» et ab antiquis temporibus ferendae diutur-
» nae obsidioni assueta: utque nostris exem-
» plis utar, nunquam nobis non infeliciter ten-
» tata? Quid, quod urbem per se validam,
» qui magnitudini invident nostrae, externis
» etiam praesidiis firmabunt? quid? proxi-
» mos Senenses quieturos ne arbitramur,
» qui post lucense bellum quid rebus suis im-
» pendeat, jam animo ante prospiciunt? num
» Venetos, num pontificem maximum cessatu-
» rum putamus; et lucensi domino propitium
» et nobis offensum: apud quem gratiam ma-
» gnis officiis partam (1), linguae intemperan-
» tia corrupimus? nisi si mediolanensem re-
» gulum haec aequis oculis aspecturum credi-
» mus: qui quando pacem nuper sancitam aper-
» te violare nolit, auxilia alieno nomine oc-

(1) Etenim noctu per urbem a pueris vulgoque, audiente pontifice, cantatum *Papa Martino non vale un quattrino*, quod acerbissime tulit.

» occulte submittendo, ita inimicum agere
» possit, ut amicus videri non desinat, quod
» qua ratione fieri possit, ipsi docuimus.
» scilicet, quod nos in Fortebraccio fecisse
» arguimur, ille non aliquem praefectorum suo-
» rum per simulationem dimittere queat, qui
» deinde proprio nomine Lucensibus opem fe-
» rat? An Luca privatis armis peti poterit,
» defendi non poterit? quare non cum lucensi
» modo principe, sed cum universa Italia bel-
» lum nobis habendum erit: solisque et invali-
» dis, superioribus belli vulneribus nondum
» percuratis, cum tot potentissimis hostibus
» confligendum: magna invidia si vicerimus,
» nulla misericordia si vincamur. Et quia bellum
» pecunia potissimum geritur, nonne qui tantis
» clamoribus arma in Lucenses efflagitant, ii
» sunt, qui novissimo mediolanensi bello, cre-
» bris collationibus fiscos excussos, et ne assem
» quidem relictum sibi querebantur? rogo vos
» unde tam subito aurei montes extiterint,
» ut ex tanta inopia repente in tam longum
» tempus exercitum alere possimus? quin po-
» tius ad ea respicimus, quae nos haec eadem
» civitas superioribus aetatibus docuit, eo fato
» a nobis armis appetita, ut semper summae
» reipublicae discrimen adiremus? consulite
» annalium vestrorum fidem: reperietisque post

» ingentem auri argentique vim in Lucae ob-
» sidione profusam, eo loci res fortunasque no-
» stras recidisse, ut libertatem (1) amittere-
» mus. ut proinde inter arcana dominationis
« posteris relinquendum sit: Lucam florentino
» populo amicam magis expedire habere, quam
» subjectam. Quare bellum minime suscipiendum
» censeo, quod nec sine magna nominis no-
» stri labe, nec sine summo reipublicae dis-
» crimine geri potest. ne aut famam con-
» temnere videamur, quod est improbum: aut
» salutem, quod, ut mitissime, insaniae pro-
» xime accedit.

Non modicam animorum inclinationem Nicolai oratio fecerat; ardorque ille qui paulo ante efferbuerat, haud parum remittere videbatur: cum Raynaldus Albicius Fortebraccii in Lucenses concitator, labantes rursum erexit; et in amorem cupidinemque belli, aspera oratione accendit. persequutus praecipue, quae Paulus Florentinae reipublicae incommode toto principatu suo fecisset. Ladislao rege in Etruriam accito; mediolanensi regulo novissimo

(1) Roberti regis filio civitatis imperio tradito: a quo Athenarum dux missus. Villan. lib. 9 c. 329. Non veggendo altro scampo per la città di Firenze, si elessero, et ordinarono Sig. di Firenze e del contado Carlo duca di Calabria.

bello adjuto; filio in hostium castris tyrocinium armorum ponere jusso. Non inseram viri infensi simulacrum, ea quae acerbe in nos dixit commemorando: nam et in annalibus gentis oratio extat, et credibile admodum est, eum haud multo verborum ambitu volentibus persuasisse. Ab ea oratione cum Albicius assedisset, mira in audientibus alacritas, murmurque bellum haud dubie poscentium, tota curia exortum. Quare Guiduccius calentibus animis utendum ratus, cum senatores suffragium inire jussisset, repertum est a CCCXCIX. bellum decerni; cum XCIX. tantum Uzanensis sententiae haesissent. Atque ita, ut scribit qui haec oculis cernebat, sanctimonia et sapientia clarus Antoninus, romanarum rerum florentissimi scriptoris verbis usus, *major pars vicit meliorem.* adeoque constitit id bellum injuste susceptum: ut septemdecim annis post Angelus Tuccius, e numero illorum, qui tunc temporis summum magistratum gerebant, suasor suffragatorque legis, maleficii conscientia stimulatus Lucam veniens, condonari sibi a Senatu postulaverit, quae ex ea injuria praestare lucensi populo debuisset. quod haud aegre impetratum. Uzanensis ut S. C. de bello factum, totamque curiam plausu vocibusque laetis strepere animadvertit, quasi futurarum rerum divino quo-

dam spiritu afflatus: » vos, inquit, Lucae » Dominum obsequentem nobis, obnoxiumque » detrahetis: magnisque sumptibus periculis» que vestris, ex infirma, validam libertate, con» cordiaque urbem facietis: quae in clientela » magni alicujus principis regisque, hujus impe» rii magnitudini semper obstet. » Bello in hunc modum decreto, lecti mox X. viri (1) cum summa potestate in sex menses, qui negocia belli curarent. a quibus statim praefecti militares (2) creati Raynaldus Albicius, et Astorgius Joannis, qui in castra ad Fortebraccium irent, juberentque ut bellum sua sponte ac privato consilio susceptum, publico deinde Florentinorum nomine prosequeretur: his legibus, ut intra martium mensem XIII. aureorum millia illi numerarentur. ex eo vero tempore, cum DCC. equitibus, CC. peditibus consuetis stipendiis militaret: belloque confecto, ac Luca in florentini populi potestatem redacta, Rotarium (quae munitissima Lucensium arx est, in regione Versiliae dorso montis imposita) dono illi, bene gestae rei praemium, traderetur. Interim decemvirorum jussu delectus militum habebantur; novique duces

(1) I dieci di Balia.

(2) Commissarj di Guerra.

praefectique pecunia conducebantur. instructisque jam quae gerendo bello necessaria erant, praefecti militares Albicius et Astorgius mandata senatus Fortebraccio Villam Basilicam oppugnanti exposuere: ex eoque tempore consensu coeptum geri bellum. In ejus oppidi expugnatione, quoniam situ et operibus, ac incolarum virtute validum erat, diu Florentini haesere: sed eo vi tandem potiti, diripiendum militi concessere. oppidani in custodiam dati: exemplo aliis si deditionem facere mature recusassent. Ab ejus oppidi victoria Florentini exercitum in duas partes divisere: ita ut altera cum Fortebraccio et Astorgio in occidentem, maritimamque Versiliae oram procederet: altera in Orientis regione cum Albicio subsisteret; qui villas pagosque ejus tractus fertilitate et amoenitate spectabiles populando incendendoque, cladibus odia, praeda ac rapinis avaritiam explebat. Nec avaritia perfidia minor erat. Quippe iis quoque, qui deditione in ejus potestatem venirent, hostilia fiebant: nec amicis magis quam inimicis parcebatur. Paria Astorgius in sua parte audebat. nam montanam regionem ante depopulatus, oppidisque quibus ea frequens est, partim deditione partim vi receptis, illata Corelliae, Terellio, Ghivizanoque, claris monta-

norum oppidis, vastitate, captisque ac spoliatis etiam oppidis pagisque, quae antistitum juris sunt, per montem cui nomen Branculo, frequentem incolis villisque, in Versiliam tandem transgressus, Seravezam, dives ejus regionis oppidum vallemque adjectam pervenit. Advenienti, metu cladis, se se statim oppidani dedidere: quos tamen omni avaritiae crudelitatisque genere vexavit. inter quae illud insigne impietatis perfidiaeque exemplum, quod cum in templum omnes loci incolas convenire imperasset, tamquam eos in gratiam recepturus, mox fide violata, nec quicquam loci sanctitate ac religione permotus, singulis catenas injici imperavit, captivosque militibus concessit. ne corporibus quidem conjugum liberorumque parcendo; quae militaris libidinis ludibrium, cupiditatis praeda erant. Inter quae illud impotentis barbariae memoratu luctuosum, quod feminas, postquam victrix libido earum corporibus illusisset, praecisis alte vestibus ad suos remittebant. quod amissi pudoris dedecus, ipsa morte acerbius miseris erat. Ita praefecti per lucensem agrum discurrere, foeda ubique crudelitatis ac avaritiae spargendo vestigia. quae eo liberius memoravi, quo florentinarum quoque rerum scriptores ea, non sine indignatio-

ne, literis tradidere (1); ipsis quoque qui fecere damnata. Haec tum fama, tum deditarum gentium querelis Florentiam perlata iniquis rumoribus civitatem omnem implevere. Nicolaus Uzanensis praecipue, quique ejus factionis erant, hanc famae iniquitatem sermonibus fovebant. liquido apparere, qua spe bellum auctores suasissent. » omissa Lucae oppugnatio-
» ne, quam altero die venturam in manus prae-
» dicaverant, agrum populando excurrere: se-
» seque militesque rapinis explere. infamiam
» ejus belli apud rempublicam, lucrum apud
» privatos futurum. dum praedae spoliisque col-
» ligendis tempus teritur, interim Guinisio spa-
» tium dari accersendi auxilia, qui nunc sa-
» pienter tuendae urbi totus incumberet: sa-
» tis gnarus ea incolumi, reliqua omnia fa-
» cile recuperari; amissa, caetera retineri ne-
» quaquam posse. » Sed praecipua infamia Albicius erat; quem, praeter manubiarum partem, quae opima ad eum veniebat, militum quoque praedam quam minimo actionando licitandoque cauponari bellum ferebatur. Nec ea tantum obtrectatoribus belli, sed etiam suasoribus indigna videri. Et quidem, si unquam infeliciter ac sinistre gesta aliqua res est, illa fuit.

(1) Brutus l. 4 histor. Florentinarum, et Macchiavellus.

nam et qui bellum dissuaserant, res evenire prospere nolebant, quo eorum consilia valescerent, factionisque adversae existimatio minueretur: et qui decreverant, cum quibusdam adversae partis hominibus illud mandatum cernerent, aegris animis nunciari laeta audiebant: famam gloriamque adversariorum diminutionem sui arbitrantes. Quare cum de bello variatum sententiis esset, victoriam nulli volebant: hinc si quae prospere gesta essent, invidia extenuari, adversa in majus attolli. Ea de causa, cum quae de praefectis allata erant vera esse compertum esset, Versiliensibus, quae reperiri potuerunt, cum fide reddita: Astorgius praefectura amotus, ac judicio populi in exilium pulsus. Albicius sive hominis dignitas seu aliae causae impulere, in civitate retentus. missique in eorum locum novi praefecti Nerius Capponius et Alamannus Salviatus. Interim Guinisius urbi tuendae omnia intente apparabat. Vigiliae ac stationes diu noctuque anxie agebantur, tormenta passim in muris disposita: quaeque alia magnae oppugnationi sustinendae necessaria sunt, sedula cura peracta. tum alios civium ad se vocando, alios forte obvios, hortari » ne si quid a se longa dominatione pec» catum esset, patriae ruinis ulcisci vellent. me» minissentque, principatum accipiendo, civita-

» tem a se e Florentinorum faucibus ereptam. » si serviendum sit, aequiorem esse civis quam » hostis dominatum. quamquam se, non do» minum, sed parentem egisse, incruentum tot » annorum imperium satis ostendere. ne de» sponderent animum prospera hostium fortu» na. salutem libertatemque intra urbis moe» nia consistere: quae si retinerentur, parvo » negocio caetera reparari ». His vocibus animi accensi, officiisque certatum: a plerisque patriae caritate, et quia Paulus ita meruerat; a caeteris metu, ac ne falsi intelligerentur. Miserat quoque Paulus per initia belli ad cunctos Italiae principes; docueratque potissimum, Senenses, Venetos, pontificem maximum quid contra amicam sociamque urbem ab amicis ac sociis pararetur. Sed praecipua spes in mediolanensi regulo sita erat; quem minime omnium passurum, Florentinos perpetuos nominis sui aemulos, ea accessione crescere, existimabat. Itaque ad eum fidissimos amicorum destinaverat Silvestrum Trenta et Laurentium Bonvisium. Addiderat se illis Antonius Petruccius, quem Russum appellabant, ob ereptam lucensem praeturam Florentinis iratus: omnique arte reguli animum versabat, ut Guinisio laboranti opem ferret. Florentini quoque, purgandi sui causa, Venetias, Mediolanum, Ro-

mam, et ad caeteros Italiae principes populosque legationes miserant, ut justa in Lucenses arma coepisse crederentur. Sed paucis eorum factum probantibus, a caeteris repudiati, tamquam qui inani praetextu alienam libertatem invaderent, finitimosque populos, per alias atque alias causas, imperio suo adjungere concupirent. Quin et Martinus pontifex, adeo id improbavit, ut etiam literis eos a suscepto consilio revocare conatus sit. Senenses quoque Florentiam oratores misere. Summa ejus legationis: » rempublicam ipsorum, ob arma in Lucen-
» sem mota, in magna sollicitudine esse; proin-
» de etiam atque etiam orare, ne Etruriam ite-
» rum bello involverent. ea re externis gentibus
» viam sterni, eam provinciam, auxilii specie
» iterum insidendi. Nam, ut ipsi cessarent,
» magnos principes non defuturos, qui Lucam
» suam, quam Florentinorum esse mallent ». Responsum Senensibus per ambages: tam bonam sibi adversus Guinisium causam esse, ut confiderent omnibus probatum iri. caeterum ut ostenderent, se non cupidine proferendi imperii, sed justa in tyrannum ira, id bellum suscepisse, qui toto principatu finem nocendi eis non fecisset; paratos esse Lucenses socios accipere, cumque iis pacem aequis conditionibus sancire, quandocumque Guinisius liber-

tatem, remquepublicam civibus reddidisset. quae iis ductandis in speciem jactata rei exitus docuit. Tamen, ne rerum suarum trepidi Guinisio se conjungerent, aut externam aliquam vim excirent, placuit foedus inter Venetos, Florentinos, ac Senenses renovari. quo temperamento, animi eorum suspicione levati, id temporis quievere. Interea bellum summa vi gerebatur: tanta hostium felicitate, ut ruinae alicujus potius quam belli species esset. Nec Florentini modo, sed alii quoque Paulo privatis causis inimici, injurias suas, in perculsum semel, ulciscebantur. quippe Balduccius quidam Casabassanensis, adjuncta sibi perduellium manu, una cum montanis pistoriensibus, furtim Pontitum oppidum ingressus, illud, excepta arce obtinuit. quae cum sex dies, egregia praefecti virtute, (Andreucius Onetensis is erat) se defendisset, tandem subsidio destituta, per deditionem in hostium potestatem venit. non sine infamia Philippi Salomonii, qui praefecturam Limensem gerebat, quod auxilia non submisisset. Capta Pontiti arce, cuncta praefecturae Limensis, Adrianaeque oppida (1) eam cladem sequuta, Foro Clodii (2)

(1) Valdriana. (2) Collodi.

excepto: quod loci munitione ac virtute fideque incolarum tutum, diu obsidionem toleravit. Situm est id oppidum elato montis dorso, versum in occidentem; aedificiis pendentibus, ac velut in subeuntes ruituris. ipse mons, non ignavo solo, sed vineis arboribusque consitus, laeta praecipue olearum specie, quibus longe lateque ea regio vestitur. ad ejus radices amnis Piscia praeterfluit, ab oppidi nomine Clodiensis appellatus (1). Circa illud tunc admotis machinis tormentisque Florentini haerebant: multo majoris praedae spe id hisce temporibus facturi; postquam Romanus Garzonius, eques vetustae nobilitatis, villam oppido continentem extruxit, magnificentia ac luxu magnorum principum operibus haud imparem. Dum Florentini Forum Clodii obsident, fortuna lucensem agrum ab hostibus minui non contenta, illum etiam per amicos carpebat. Fosdinovi dynasta praefecturam Camporegiensem, in Apennini jugis vallibusque sitam XLIII. oppidis pagisque nobilem, ad Florentinos traduxerat. eoque exemplo in feroniensi provincia praefectura Castellionensis, oppido, quod regionis caput est, excepto, ipsa quoque Flo-

(1) Pescia di Collodi.

rentinos acceperat. Castellio in fide mansit; ad quem oppugnandum missus Bernardinus Carda, dux ejus aetatis clari nominis, Friderici deinde Urbinatium reguli pater, cum duobus millibus peditum, ac DCCC. equitibus: machinis tormentisque moenia quatere aggressus, non prius oppidanorum animos pro fide obstinatos, ad deditionem flexit; quam, continenti fere muri ruina nudato oppido nulla retinendi spes superesset. tunc demum, pacta sibi rebusque suis incolumitate, deditionem fecere. Arx in Lucensium potestate mansit: quae tamen paulo post, cum amisso oppido defendi nequiret, in potestatem hostium venit. In eadem provincia, Neocastrum (1) nobile oppidum ad Aesaris Turritaeque confluentes situm, Gallicanumque, ac Trassilicum, clara itidem oppida ferrariensi regulo se dedidere; Leonardi Neocastrensis opera: qui adeundae arcis potestate, quam e lucensi domino impetraverat, in ejusdem fraudem usus, capto vinctoque per dolum praefecto, proditione ea oppida alienae dominationis fecit. Idem exemplum Silicenses sequuti in Ferrariensis fidem concessere. qui literas officii plenas ad Paulum dedit, quibus significabat, se ea oppida tute-

(1) Castelnuovo.

lae nomine, ne a Florentinis occuparentur, servanda accepisse: quae post bellum cum fide redderet. Quare caeteris fere omnibus amissis, haec tantum de lucensi dominatione intacta, seu fide, seu munimento restabant. Monscarolus ad orientem: Campus major, fanum Feroniae ad occidentem: et in lunensi provincia Massa et Carraria. tum ad mare portus Mutronis, ac Viaregium: arcesque munitissimae Rotarium ac Nuptianum, cum quibusdam castellis ad Pisanorum fines. quod saluti illis fuit, direptis misere divexatisque, ut dictum est, quae se hostium fidei misericordiaeque permiserant.

Per has clades insequens annus (1) aderat; Paulo dominationis supremus, lucensique urbi memorabilis. cui tam infensi acerbique hostes, tot impensis laboribus libertatem struebant. per initia cujus, novi Florentinorum praefecti Capponius, et Salviatus, cum in castra ad forum Clodii venissent, comperto plures hiemis asperitate a signis dilapsos, tabernacula asseribus cratibusque palustri junco textis muniri, ad arcendam vim frigoris, ac peragi strenue obsidionem jussere. Submiserat eo Paulus

(1) Ann. 1430.

praesidium CCL. peditum: qui intra oppidum recepti, victoriam hostibus complures dies distulere. sed oppidanis, assidua oppugnatione fatigatis, murisque frequenti machinarum pulsu ruentibus, tandem facta deditio, ea lege, ut rebus corporibusque parceretur. quod non priori fide servatum, Florentinis tandem, bello, non latrocinio, agendum sibi intelligentibus. Capto Foro Clodii, consultatum a praefectis ducibusque, utrum in oppugnatione caeterorum oppidorum perseverandum foret, an tota belli mole in urbem ipsam eundum. Sed cum eam deliberationem ad decemviros rejiciendam cuncti censuissent, dum eorum sententia, misso Salviato, exploratur, ne interim cessaretur, copiae in duas partes divisae, quarum altera cum Raynaldo Albicio, qui in castra redierat, ac Furnarino Oddoque ducibus ad Pontem Vicumque D. Petri occupandum iret: altera oppidorum expugnationem cum Fortebraccio, et Capponio prosequeretur. primum belli impetum proximi Clodiensibus Januarienses excepere: quorum oppidum montis dorso porrectum (1), vini gloria praecipue nobilitatur. Oppidani cum jam disponi circum machinas, ac

(1) S. Gennaro.

tormenta cernerent, vocatis ad colloquium hostibus, pacti sunt, nisi ad certam diem a lucensi domino subsidium advenisset, se oppidum, salvis rebus corporibusque, dedituros. Sed hostes fraude maturandum rati, praestitutam diem in hunc modnm antevenere. codicillos lucensis nomine confictos, cum ante Pauli epistolas intercepissent, translata cera obsignant, perferendosque in oppidum curant. quorum sententia erat: » laudare se eorum fidem, sed » rebus in arcto positis, impediri quominus » obsessis succurreret. proinde rebus suis con» sulerent, et quoniam aliter fieri non posset, » fortunae vim sequerentur ». cui dolo cum ab oppidanis creditum esset, deditio repente facta: nec absimili arte Porcarienses quoque decepti in hostium potestatem venere. Eadem felicitate Albicius, vicum pontemque D. Petri occupaverat: copiasque raptim ad oppugnandum Feroniae fanum duxerat. ratus civitati obtinendae, tam insignis oppidi expugnationem, opportunitate situs, magno momento futuram. Quippe ex Insubria Liguriaque lucensem agrum intrantibus ea claustra habentur. angustos saltus, hinc edito praeruptoque monte, hinc paludibus ac propinquo mari urgente. Sed ea conanti Salviatus obstitit, allato decemvirorum imperio, quo duces universam belli

molem in urbem vertere jubebantur. id nuper Pisas exemplo docuisse. Quippe donec expugnandis oppidis sparsae vires, nullum satis dignum laborum praemium extitisse. capta urbe, omnia victoriam sequuta. Cum id ad consilium relatum, etiam militari sententia probaretur; coactis in unum omnibus copiis, XII. kal. martii ad tertium ab urbe lapidem, loco, cui a sparsis olim agrestium mapalibus, Capannole etrusco vocabulo nomen est. Magna difficultate, ob hyemis inclementiam, castra posuere. sed cum experiendo intellectum esset, Lucae expugnationem non fore paucorum dierum opus, consilium potius praefectis visum, donec vernum tempus appeteret, oppidorum expugnationem prosequendo, membra paulatim abscindere, unde id corpus aleretur. ita fore ut illis deficientibus, ipsum quoque tabesceret. Placuit itaque Capponium Florentiam proficisci, praesentemque docere magistratus, captis Campo majore, ac Feroniae fano Lucam stare non posse. nunc vero in urbis obsidione tempus terentibus, neque oppida, neque urbem capi. Sed cum non persuasisset, in urbis obsidione perseveratum. Interea Paulus omnia moliebatur, ut externis auxiliis semet firmaret. Quare Senas ad milites comparandos ingentem auri vim occulte misit; majora pollicitus, si

in tam asperis rebus sibi praesto fuissent. Sed cum hi, foedere nuper inito, auxilium ferre aperte prohiberentur, Antonium Petruccium cum occultis mandatis Romam misere, ut pontificis maximi voluntate, milites in Pauli Lucensiumque subsidium conscriberet. Nec gravate pontifex permisit, Florentinis, tum ob veteres causas, tum praecipue ob ipsius preces pro Lucensium domino superbe repudiatas infensus. Quin etiam ut copiae tuto in lucensem agrum transveherentur, VI. triremium aliarumque navium classem ab Alphonso Neapolitanorum rege submittendam curavit; perque eum modum incolumes Lucam pervenere; vastata ante maritima Pisanorum ora, prohibitoque per aliquot dies florentino exercitu commeatibus, qui a mari subvehebantur. Florentini ante earum copiarum adventum maturandum rati, urbem ex omni parte aggredi statuunt: quare exercitu in duas partes diviso, quarum uni Fortebraccius, alteri Bernardinus Carda praeerat, castrisque propius urbem admotis, tormenta muris quatiendis, machinaeque ingerendis in urbem saxis, ac caetera oppugnationi necessaria, summa ope comparabantur: ducibus hostium ab nulla alia minus, quam ab urbis parte sollicitis. Quare eruptione duorum millium apertis portis repente fa-

cta, tantus terror Fortebraccii castris injectus; ut trepidatione ac fuga, nec minori caede omnia turbarentur. profligatumque ab ea parte erat, ni Carda trepidantium tumultu audito, perculsis subvenisset. ejus adventu fugae ac caedibus finis factus. Lucenses cum captivis praedaque, quibusdam etiam tormentis potiti, ne modica quidem belli offensione accepta, victores in urbem regressi, bona spe omnium animos implevere. Hostes ea clade perculsos, ingressoque paulo post urbem praesidio, de quo antea memoravi, desperatio capiendae urbis incesserat. multoque magis, quod submittenda a mediolanensi regulo auxilia, seu vulgatus rumor, seu, quod verisimile erat, metus pro vero animis eorum subjecerat. Itaque missis, qui novas copias compararent, brevi ad XVI. peditum equitumque millia, circa Lucam in armis adfuere. Praecipui auxiliarium Urbinatium regulus, ac Faventinus dynasta, qui milites dedisse non contentus, praesens cum aliis ejus aetatis claris ducibus, famam ex tam nobilis munitaeque urbis expugnatione quaerens interfuit. Tertium quoque praefectum Joannem Guicciardinum Florentini adjunxere; qui, novae potius quam veteris patriae, unde originem duceret, memor, omni cura oppugnandae Lucae incubuit. His subsidiis, hostes

obsidionem velut de integro adorti, primo angustos saltus, pontiumque aditus, unde auxilia commeatusque submitti obsessis possent, praesidiis occupavere. divisis deinde copiis tria castra communiunt: una ad veteres Figulinas; altera ad pagum suburbanum, cui Muniano nomen est; tertia ad Viti fanum tendebant. novas etiam aggerum moles, aliaque militaria opera excitaverant: in quibus fossa ingentis operis a D. Viti per militarem viam usque ad D. Philippi fanum: ac inde usque ad alveum aquaeductus ab Aesare in urbem corrivati; quem, ubi extra urbis munimenta se evolvit, Piscillam vocant: intra hunc aggerem fossamque Florentini ex tuto, tormentis, quae plurima circa disposuerant, muros urbis quatiebant. Sed praecipua clades accipiebatur, ab ingentibus saxis, quae tormentis machinisque in sublime elata, intra urbem jaciebantur: quae pondere suo ex alto resoluta, magnoque impetu aedificiorum tectis illisa, ea perfringebant: ingenti incolarum terrore, ne subinde ruina opprimerentur. Sed quod pro miraculo fuit, non ultra sex homines, tanto temporis spatio absumptos ea peste satis constat. Aliam quoque viam capiendae urbis, taedio longe obsidionis fessi hostes inivere. Erat ea tempestate Florentiae magni nominis archi-

tectus Philippus Brunellescus, cui testudo maximi templi, ab eo, novo quodam artis miraculo, sine machinis fulturisque concamerata, eam famam pepererat; ut quidvis ingenio perficere posse, saeculique sui Archimedes alter putaretur. Is, seu gloriae cupiditate, ut insigni aliquo opere, quemadmodum ille in Syracusarum obsidione, nobilitaretur; sive ut creditum est, Raynaldi Albicii instinctu, palam jactare coepit, Lucam, ut Aesaris alveo depressiorem, inundari aquis posse. tantumque, et fide artis, et eorum qui bellum suaserant, studio effecit, ut decemviri, id quoque experiendo tentari juberent. Repugnabat eo consilio Nerius Capponius loci gnarus, quaem praesens vidisset: affirmabatque nulla ratione id fieri posse quod Brunellescus jactaret. Hujusmodi generis hominum consilia speciosa ac praeclara, donec intra rationes modulosque consistant, experimento inania saepe deprehendi, ac in fabulam risumque converti; lucensem dominum aliqua, nec ea magna molitione, coepto operi obsistere, conatusque in auctorem vertere posse. Neque tamen aliud pervicit, quam ut suspenderetur, donec Brunelleschus iret in castra, contemplatusque locorum situm, aut concepti operis fiduciam, aut desperationem inde referret. Interim tota civitate non alios

esse sermones, quam posse Lucam aquis mergi: imperita multitudine, quod per vanitatem ab artifice jactatum erat, pari stultitia credente. Itaque pro se quisque Brunelleschi ingenium laudibus ad caelum attollere; eum divinum hominem, et cuivis magnorum artificum ambitiose antiquitatis aequandum. nec dispar de eo fama in castra, militaremque turbam pervaserat. Itaque cum is eo venisset, speculatusque locorum situm, rem fieri posse confirmasset, certatim Florentiae in suffragia itum: Capponio frustra reclamante, stultitiamque incepti vera, sed irrita denunciatione testante. Coeptum itaque opus innumera fabrorum multitudine, in eoque assidue ultra duos menses laboratum: nova fossa ad urbem perducta, aquis quae circa fluerent in eam corrivatis: cursuque amnis aggere cohibito, ut eum deinde aquarum mole anctum, majore impetu in fossam urbemque immitteret: quod, ubi opportune visum est, fecit. Sed, sive nostri, ut florentinarum rerum scriptores (1) artifici purgando tradunt, eductis aggeribus, alio venientium aquarum vim avertere: sive amnis in immensum auctus, regique impatiens, tanto impetu in

(1) Macchiavelli.

castra Florentinorum erupit; ut aquis late stagnantibus, momento temporis, cuncta corriperentur: fugaque passim ac trepidatio fieret: ingenti sarcinarum damno, quas in eo tumultu, dum quisque vitae consulit, relictas, aut aquarum vis absumpsit, aut in manus nostrorum detulit: operibus praeterea, quae immenso labore obsidendae urbi perfecerant eluvione solutis. Id ubi Florentiam nunciatum pro habitu animorum varie audientes affecit. operis suasores, pudor moerorque, qui contra senserant, tanta laetitia incessit, ut castra hostium, non civium submersa aquis diceres. Adeoque gaudio minime temperatum, ut etiam jocularia carmina condita sint, quae vulgi licentia per lasciviam noctu tota urbe in artis ludibrium canerentur. magno Brunelleschi dolore, cujus fama nuper coelo aequata, ea verborum acerbitate proscindebatur.

Paulus, quamquam secundae res erant, pertinaciae tamen hostium gnarus, omnia strenue bello sustinendo comparabat: reputans, Florentinos septimum jam mensem circa Lucam haerentes, pudore irriti incepti omnia tentaturos, donec voto tandem potirentur. Itaque novis legationibus, Italiae principes sollicitare, Genuenses praecipue, ac Insubrum regulum, unde spes major propinquiorque. Nec Genuenses defuere,

missis ad Florentinos legatis, qui de illato Lucensibus bello quererentur, orarentque ut ab armis discederent. quibus vetera, ac obsoleta obtrudendo dimissis, non se alieni imperii cupidine, sed ut sua tuerentur ad arma isse, Genuenses foedus cum lucensi domino inivere. acceptaque pignoris loco Mutronis arce, ac Feroniae fano, quoniam milite nequibant, auro socium juvere. Eidem foederi Senenses quoque, ac Martinus pontifex adscripti, ut quidam scriptum reliquere, quos Florentinorum injuria, et communis tutela exciverat. lentior submittendis auxiliis regulus, sive ab etruscis rebus abhorrens, pluries eas inutiles sibi expertus: sive legatorum florentinorum convicio, foederis leges quotidie invidiose inculcantium. quare ei stimulando, utili mendacio Bonvisius, ac Trenta, quos à Paulo Mediolanum ad auxilia petenda missos supra memoravi, scrupulum injecere. si obstinate negandis auxiliis persisteret, id pertinacia consequuturum, ut Lucensis desperatis rebus, urbem Florentinis, quemadmodum patri ipsius Appianus, Gabriel eisdem Florentinis Pisas, pretio addiceret: quod, quamquam falso jactatum, et cunctantem regulum impulit; vulgatumque per urbem, civium animos a principe alienavit; tamquam venales, mancipiorum more, acerbissimis ho-

stibus traderentur. quae invidia exitium ei maturandi initium fuit. Itaque regulus haud ultra cunctandum ratus, subsidia mittere statuit. Sed cupienti violandi palam foederis pudor obstabat. Quare Florentinos artibus suis capere meditatus, Franciscum Sfortiam, tamquam composita pace sibi jam supervacuum dimisit: ut is sponte a lucensi domino stipendia accepisse videretur. praeterea Nicolao Piccinino, qui clarus ea tempestate dux habebatur, permisit, ut regionem Taro amni adjectam, unde per Apenninum Apuanosque Ligures transitus ex Insubria in Etruriam est, ad omnes belli eventus occuparet. Hac simulatione Sfortia e Gallia Cisalpina digressus, vulgato rumore, tamquam in Campaniam regio bello militaturus iter intenderet, per Apennini tramites cum duobus equitum, sex peditum millibus (quamquam aliqui numerum variant) in Etruriam descendit. Id sive Florentinis suboluisset, sive suspicio pro re comperta fuerit, occupandum rati, antequam Sfortia se Lucensium armis conjungeret; Fortebraccium qui advenientem exciperet, obviam misere. Sed is cum Sfortia signis collatis, fusus fugatusque, ea clade Florentinos compulit, soluta obsidione, Lucam deserere, ac Librafactam se recipere: ad mille hominum praefecti Guicciardini culpa

in hostium castra transgressis. Et Sfortiae quidem adventus, ut civitatem obsidione laxaverat, ita principis Pauli intenderat curas. non satis hominis ingenio fidentis, quem etiam injuria novissime accensum reputabat. quippe Paulus per legatos apud regulum enixe contenderat, ut Piccininus potius, quam Sfortia mitteretur: quod cum is comperisset, ei ipsi, cui opem ferebat, iratus venerat: ita erga Paulum florentinumque populum animo affectus, ut neutrius Lucam esse cuperet. Ab ea suspicione profectum, ut Sfortiam exercitumque Paulus in urbem non admiserit, extra urbem trans Aesarem amnem tendere jusso; ne auxilii specie hostem acciperet. Alta tamen utrinque simulatio: cumque odia in occulto, comitas in aperto erat. Nam et Guinisius omni officii genere, per Ladislaum filium, principesque civitatis Petrum Cenamum, et Laurentium Bonvisium, Sfortiam coluerat: isque urbem obsidione solvisse non contentus, seu longius avertendo hosti, seu praedae cupidine Florentinum agrum ingressus, Piscia frustra tentata, quae Pauli Diaceti turpi fuga deserta, Joannis Malvolti egregia virtute defensa est; Bujanum ejusque suburbia cepit diripuitque: Stiniano etiam diti oppido capto incensoque. Sed inopia commeatuum regredi inde coactus,

iterum circa Lucam, Paulo introitum in urbem negante, consedit. pervagatusque adjectos urbi pagos, IV. idus augusti in Carthusiae valle; postridie vero idus ad D. Alexii fanum stativa habuisse, ex diariis ejus temporis colligitur. Quo tempore cum stipendiorum reliqua flagitaret, Paulusque, sive per avaritiam, seu retinendi hominis causa: quod magis credere libet, cum fata instant, suae quisque cladis stimulator est, inania verba, et spes longas objiceret, properandi ejus exitii ab ira consilium coepit. Haud ignotae Florentinis, exortae inter Guinisium ac Sfortiam simultates erant: satisque gnari unum Sfortiam eorum votis obstare, fraude agere instituunt. Itaque per certos homines, qui utriusque amicos simularent, alterum apud alterum criminando, eam discordiam alere. et apud Sfortiam ita agere, quasi Guinisius Florentinis tradere urbem occulte moliretur: apud Guinisium vero, tamquam Sfortia imperium illi adimere, lucensemque rem mediolanensi dominationi adjungere, animo agitaret: unde atrox suspicio, et mutuus timor. grandi etiam pecunia Sfortiae animum aggressi, eum perpulere, ut in continentes urbi vicos se eorum exercitum immissurum polliceretur: Nicolao Uzanensi reclamante, ne sic quidem Lucam in manus Florentinorum venturam. nec eum

conjectura fefellit. Iisdem artibus Paulum quoque tentavere, spes ingentes ostentando. si quod jam aegre retineret, urbis imperium ipsis tradere in animum induceret. quae per amicos patefacta, civium animos ab utroque alienavere; unde acrior libertatis amor, dum vendi ab altero, prodi ab altero metuunt. Itaque Nicolao quodam senensi, ordinis Praedicatorum monacho, hortatore, nonnulli quorum principes Laurentius Bonvisius ac Petrus Cenamus erant, adversus Paulum conjuravere. Aderat reversus Mediolano Petruccius, qui Paulo jampridem offensus ob falsum prodendae Florentinis Lucae rumorem, non levis auctor regulo fuerat; avaritiae eum criminando, ostentandoque ingentis gazae potiundi spem, rescribendi Sfortiae, qui negata stipendia, initamque cum Florentinis pactionem questus erat, ut illum principatu dejiceret. His reguli mandatis, propriisque causis Sfortiam accensum, Nicolaus monachus, ac Petruccius conjurationis artifices (ne civium aliqui ex urbe in castra crebro commeantes, suspicionem Paulo injicerent) conveniunt, factamque in urbe conjurationem, principumque, qui nomina ei dedissent numerum aperiunt. » Si pulcherrimum recuperandae libertatis facinus » ausuros juvare velit, fore ut ejus facti nunquam poeniteat. Rempublicam, quae ipsi de-

» beantur, cum fide soluturam: ejusque no-
» men, Rodulphis, Carolis, caeterisque lucen-
» sis libertatis anctoribus adscriptum in po-
» steros iturum. » Facile jam cupienti persua-
sere: reversique in urbem, una cum consciis tempus modumque gerendae rei disponunt. Interim Sfortia, ut Paulum fidissimo praesidio nudaret, Ladislaum ejus filium in castra cum equitatu ex urbe accersit: simulans se in florentinum agrum, ut paucos ante dies fecerat, excurrere velle, atque ope ipsius indigere. qui nihil doli suspicatus, patris domusque fortunam secum trahens, in castra postridie idus augusti ad Sfortiam venit. a quo benigne exceptus, pristinoque cultu habitus, ne mutatum ipsius animum sentiret. Ladislao urbe egresso, sub noctem conjurati convenere, raptimque inter se, quae tempus monebat, collocuti, ita constituere, ut Petrus Cenamus, Terius Gentilius, et Joannes Ghivizzanus, denis sibi quisque promptissimorum juvenum adjunctis, quorum fidei virtutique maxime confiderent, palatium aggrederentur; caeteri per urbem dispositi, ad ea quae opus essent curanda in armis starent. Bonvisius, quamquam praecipuus liberandae civitatis auctor, tamen Paulo amicorum intimus, ductaque in matrimonium e Guinisia gente nobili foemina, etiam affinis, capti vultum cernere coram non

sustinuit. Igitur nocte intempesta, Petrus cum suis in palatium iter aggressus, in conspectu illius cum parum substitisset, facinoris magnitudinem, et incerta rerum animo reputans; tandem collecto spiritu, brevi acrique oratione sociorum animos accendit. » Irent secum » fortissima pectora, patriamque morti ac ser- » vituti eriperent. parvo periculo immorta- » lem gloriam famamque adepturos. et si ferro » decernendum sit, nulla honestiora vulnera, » quam pro republica accipi. securitatem, » libertatem in eorum manu positam. in ipsis » esse,. utrum eam noctem natalem urbi, an » novissimam vellent. adimerent omnem spem » iis, qui in posterum de occupanda republica » cogitarent: documentoque essent, Lucam » ne quidem bono principi servire posse. » His adhortationibus alacres, dextras jungunt, se se sacramento adigunt, fidem servaturos, nec ipsam prius quam spiritum deserturos. Jamque in palatium perventi; cum Cenamus proturbato milite, qui in vestibulo excubabat, aditum occupat, unaque cum globo armatorum irrumpit, obsistente nullo: cum Paulus in externum hostem versus, a domesticis insidiis nihil metueret. eo impetu in superiora evadunt, perfractisque portis, tumultu omnia complent. qui ad Paulum perlatus, caeteris alto somno so-

pitis, belli curis vigilantem, rei novitate attonitum perculit. excitatisque clamore, Augustino-Philippo ac Raynaldo, qui ex liberis in proximo conclavi quiescebant; ire ac explorare jubet, quid ille tumultuantium strepitus hoc noctis sibi vellet. Illi imperio patris accurrentes, tumultuque audito secures dolabrasque ad effringendas fores poscentium, trepidi renunciant, plena omnia armatis, actumque de ipsis esse. Paulus jam jamque strepitu magis propinquante, exauditoque clamore portas effringi flagitantium, reclusis cubiculi foribus, se in conspectum furentium dedit. agnitoque omnes cives esse: quid, inquit, novi accidit, optimi cives; quaeve tam subitae consternationis causa existit? cumque ferociter a quibusdam succlamatum esset, tyrannum occidendum, strictisque mucronibus in eum procurrerent, Cenamus medium se se furentibus objecit, impetumque eorum inhibuit. rogitantique Paulo quid de ipsis male meruisset, quove suo facto poenas tam acerbe expeterent? respondit, haud ultra dominatum ipsius ferre civitatem velle. Tum Paulus deprecatus, ut quoniam principatum sine sanguine partum, incruente gessisset, ita eo sine sanguine abire liceret: ea re impetrata, se se Cenamo dedidit. a quo una cum duobus liberis Augustino-

Philippo ac Raynaldo, et sub arcta custodia habitus: Stephano Rodulphoque per eum tumultum fuga elapsis. Prosper rei exitus absenti Sfortiae statim nunciatus, igne, uti condictum erat, e turri palatina sublato. quo signo Ladislaus qui alto somno consopitus in lecto accumbebat, a Navarrino uno ex ducibus excitatus, et ad Sfortiam perductus, ubi cum armatum intempesta noctis hora, mediumque praefectis ferro accinctis conspexisset; admiratio simul pavorque, rei novitate, juvenem perculsit. Sed ubi dilucescente jam die nuncius in castra ex urbe missus, captum Paulum attulit, tum Sfortia truci vultu Ladislaum intuens, habeo te, inquit, jure belli captivum. nec plura loquutus, juveni catenas indi, vinctumque custodiri jubet. qui deinde cum patre ac fratribus Mediolanum regulo missus, ac Ticini arce clausus. Ex ea custodia liberi paulo post erepti: pater usque ad extremum vitae mansit, in eaque biennio post, aegritudine animi extinctus est. Hunc exitum habuit Paulus Guinisius, longo XXX. annorum principatu felix, nisi novissime illum fortuna deseruisset. Vetus familiae nobilitas, nec minor ex meritis, populi favor: ipsi mite ingenium, et pene sibi in exitium clemens: alieno tamen consilio validior quam suo. matrimoniis ac prole beatus; plu-

resque illi uxores prope quam liberi. pietas ac religio par; et in summa potentia summa aequitas. Regum amicitia, ac pontificum hospitio ambituque clarus: omniumque difficultatum victor, donec vita alteri amicorum mansit, alteri fides. Florentinos saepe dubios amicos, postremo acerbos hostes sensit: hoc tamen, artibus, ferro, auro assequutos, ut cui populo servitutem cuperent, emerent libertatem. Haec animi ac fortunae bona, decora vultus majestas ac species digna principe commendabat: firma praeterea valetudo, nec nisi toto vitae cursu levibus morbis tentata. periit anno aetatis undesexagesimo, biennio tantum fortunae suae superstes. unus certe omnium maxime dignus qui patriae imperaret, si in ea urbe natus esset, quae dominos pati posset.

Finis Libri decimi.

LIBER XI.

BREVIARIUM LIBRI

Conjurati populum excitant. arce potiuntur. Sfortia urbem intrat. A Florentinis corruptus Lucenses deserit. ob receptam libertatem gratiae superis actae. reipublicae constituendae XII. viri creati. Senatus novo bello se comparat. Status civitatis. Legati de renovanda amicitia Florentiam missi. superbum responsum referunt. arx Pauli Guinisii diruitur. Florentini iterum obsident Lucam. Nicolaus Piccininus in auxilium venit. castra Florentinorum aggressus insignem victoriam refert. obsidio post XIII. menses soluta. Suasores belli Florentiae invisi. Piccininus ovans urbem ingreditur. Imago equestris ei decreta, annuique ante eam ignes. loca circa urbem recuperantur. Regulus Ferrariensis de reddendis oppidis appellatur. Laurentii Bonvisii claritudo. Florentinorum insidiae. foedus cum Genuensibus ac Senensibus initum. Florentini proditione duo propugnacula occupant. sed ea statim amittunt. Sigismundus imperator Lucam venit. Florentini ad Toporium fusi. copias in lucensem agrum immittunt. Paulus Guinisius moritur. pax cum Florentinis sanci-

tur. Antonio Pisano praemia data. Guinisii patriae restituti. leges emendatae. Cosmus Medices Florentia pulsus Lucae subsistit. Italia bello turbatur. Genuenses a regulo mediolanensi rebellant. Fanum Feroniæ proditione occupant. Patrum in Feronienses ira. Petri Cenami decemviri caedes. Sfortia Florentinorum dux Lucam obsidet. Cosmus Medices lucensis belli suasor. Patres populum pro concione ad fidem hortantur. saeva Florentinorum consilia. Piccininus obsessis succurrit. pax cum Florentinis componitur. Concilium Latinorum Grecorumque Florentiae habitum. duarum virginum egregium factum. sumptuaria lex renovata. Florentini bello capta restituunt. Piccininus moritur. ejus elogium. Ladislai Guinisii conatus. Nicolai V. civis creatio. Reguli mediolanensis mors. bellum in Borsium Estensem apparatur. luxus foeminarum coercitus. Florentini proditione Lucam tentant. Petrus Aventinus insignis Rhetor. Michaelis Guerruccii conjuratio. Jacobus Ammanatus cardinalis creatur. triremis in Turcas publice instruitur. Cosmus Medices moritur. item Franciscus Sfortia mediolanensis regulus. foedus cum Ferdinando rege ictum. via ad mare per paludes munita. Galeatius Sfortia Lucam cum uxore venit. ingenia juvenum senatus fovet. B. Joannes Bonvisius moritur. Florentini Nuptianum proditione tentant. Mediolanensis reguli caedes. Feronienses bello petiti. Legationes in urbem veniunt: interque eas Ferdinandi regis. Typographia in urbem inducta.

conjuratio Pazziorum in Mediceos. Sixtus IV. Florentinis bellum infert. Sumptuaria lex renovata. lex tabellaria ad instar ostracismi fertur. Cella Santo Vultui extructa. Florentini Feroniæ fanum Genuensibus adimunt. sociali jure ab eis reposcitur. bellum iterum in Lucenses parant. Pons ad sextum extruitur. Judaei urbe pulsi. mons pietatis erectus. Nesis Franchi et Andreae Mei conjuratio. Basilica pauliniana extruitur. item palatium prætoris. novus orbis detegitur. Alexander VI. pontifex creatur. Laurentius Medices moritur.

Continet acta annorum LIII.



ANNALIUM
AB ORIGINE LUCENSIS URBIS
LIBER XI.

Paulo per hunc modum capto, ac principatu exuto, Laurentius Bonvisius, quique alii conjuratorum per urbem in praesidio steterant, exitu rerum cognito, statim laetis clamoribus, quibus populo libertatique fausta precabantur, ad excitandum populum discurrentes, brevi urbem totam felici nuncio implevere. quo tempore Terius Gentilius e palatio digressus, tectus armis fulgentibus, ensemque nudum manu praeferens, insigni equo per urbem et ipse discurrit; turba undique affluente, laetisque vocibus personante. nullo eorum qui Pauli nomine in foro excubabant obsistere auso, cum militum robur una cum Ladislao urbe excessisset. itaque foro potitus, eaque victoria ferox in palatium regressus, a Paulo minaciter arcis claves poposcit, gladium intentans ni statim pareret. is cum eo Augustinum Philippum e liberis misit, qui ipsius nomine praefecto denunciaret, ut sine mora arcem Gentilio traderet. Erat is Franciscus Jacobus, qui

domino suo usque ad extremum fidus, dolum aliquem subesse suspicatus, jaculis ballistisque submovere subeuntes coepit; denuncians quoque ni coeptis absisterent, se in eos tormenta excussurum. Sed cum Pauli filius tesseras ostenderet, doceretque quid patri accidisset: Gentilio insuper eadem ferocia superbiam contumaciamque ejus increpante; accepta prius pecunia, quam deberi sibi stipendii nomine asserebat, arcem populo tradidit: Cittadellae cognomine ob id assumpto, quod etrusca voce arcem signat. mansitque apud posteros, prisco Jacobiorum relicto, velut avitae laudis monumentum. Gentilius recepta arce praesidioque imposito, iterum per urbem discurrendo, multitudine faustis acclamationibus prosequente, reliquum noctis comsumpsit. Sequenti die, qui divae Virgini in caelum receptae memoria solemnis, novae libertatis laetitia celebritatem auxerat; Sfortia cum exercitu urbem ingressus, ingenti gaudio, tamquam libertatis auctor vindexque exceptus est. Paulique domo, quam intactam cives servaverant, in praedam suis concessa: quicquid longo felicique dominatu, regiae opulentiae luxu congestum erat, a militibus direptum. pecuniae summa, aliquanto spe et opinione minor: fisco longa obsidione, sumptuque in militem exhausto:

gemmarum vis ingens reperta. inde arcem petiit, nec ea egressus est donec, ut erat avidi ingenii, XII. aureorum millia, qua stipendii, qua donativi nomine illi persoluta sunt. pauloque post, causatus hyemis propinquitatem, ne hibernis militum sociis gravis esset, omisso Campaniae itinere, in Galliam Cisalpinam reversus est. Sed verae abeundi causae LXX. aureorum millia fuere, quae Florentini, tamquam parenti ipsius stipendii nomine debita, per Boccasinum Alamannum pacti fuerant, si Lucam deseruisset. Ita Florentinorum Lucensiumque auro dives, domum Sfortia rediit: Luca interim beneficio magis hostium, quam amicorum, in antiquam libertatem asserta: quod sapientissimi eorum futurum longe ante providerant. Et ne mortalibus tantum gratias agendo; caelestes, unde potissimum illud boni evenerat, praeteriisse viderentur; patres supplicatione indicta in honorem divae Virginis per urbem omnia templa adiere. Postero die principes civitatis ad ordinandum novum reipublicae statum conversi, consilium vocavere: cui ex quaque familia qui aetate ac sapientia anteirent, adhibiti sunt. Convenere in curiam ad XCVII. ibique multum colloquuti, animadversoque tempora reipublicae festinatis consiliis indigere, quae ubi a communi expectantur,

novisque militibus ad urbis praesidium mercede conducendis intendere. Gregorio etiam Arrighio arcium ac munitionum, ad novi belli, quod a Florentinis timebatur, vim sustinendam, curatio demandata. plebi quoque conciliandae vectigalia imminuta, decretumque, quoniam pestilenti morbo decemviri infrequentes essent, ut V. justum collegium explerent. Cum tot malis eodem tempore pugnandum erat: cum, veluti juncto agmine, clades universae miseram civitatem invasissent. quippe hinc praeteriti ruinae, hinc instantis belli metus: inde fames, famisque ac belli soboles pestilentia urgebat. et in longa obsidione, omnibus in belli armorumque ministeria conversis, deserta artium studia, intermissa agrorum cultura. hinc diu noctuque macie fameque pereuntium gemitus: neque, dum annona militibus suppeteret, multum pensi erant, quemadmodum aliorum inopia levaretur. quodque malorum novissimum erat, animis hominum veluti tot calamitatum patientia stupentibus, non morum disciplina, non cultus caelestium vigere: sed alea et libido; et tamquam in ultima desperatione, omnium vitiorum licentia et impunitas. Unicum bonum libertas aderat: sed ea quoque in lubrico posita: et nisi major humana vis affuisset, in ipso exortu interitura.

Sed quoniam ut cum bello tot mala irrepserant, ita pace reditura salus videbatur, ei procurandae omnia studia incubuerant. Itaque cum Florentini cupiditati obtegendae, magnifice saepius jactassent, se non contra Lucenses, sed adversus tyrannum venisse: positurosque arma ubi ille rempublicam civibus reddidisset: explorando an dictis facta congruerent, missus Florentiam Ceccardus Massensis, magnae tum sapientiae fama in republica celebris: cui adjuncti Jacobus Vivianus, et Forteguerra Tottus: qui veteris amicitiae commemoratione orarent, ut pristinum erga Lucenses animum reciperent. » si quid novissime a Paulo in eos peccatum » esset, ipsius calamitate expiatum. si eorum » arma, ut ipsi toties dixissent, Guinisio in » ordinem cogendo suscepta essent: jam, eum » nedum privatum, sed etiam captivum viu- » ctumque esse. ponerent adversus liberam » civitatem bellum, quod contra tyrannum » cepissent ». Sed nihil ea movere. quippe ea spe, quod Sfortiam pecunia corruptum, Lucenses deserturum scirent, a Florentinis superbe responsum. » Lucenses dominum, non » dominationem mutasse. nec se unquam sine » suspicione futuros, donec ea civitas sui » juris esset, quae toties ipsorum rempubli- » cam in discrimen vocasset. proinde magno-

» pere iis suadere, ne iterum bellum et arma » expectarent. si sponte deditionem face» rent, Pisanos magnum florentinae clemen» tiae documentum esse: si belli jure in po» testatem venissent, ultima esse passuros. Haec domum renunciata magnam sollicitudinem injecerant. quippe priori bello attrita civitas erat: pestilentia insuper numerum civium in dies minuente. quodque magis in eo rerum articulo formidolosum erat, dubia Sfortiae fide, quem florentino auro emptum, nullis precibus retinere potuissent. Itaque XII. virorum decreto missi Mediolanum Bonfilius Bonfilius, nuper a Paulo in civitatem adscitus, Nicolaus Manfredus, Joannes Ghivizzanus, et Jacobus Arnulphinus, qui regulum reipublicae statum docerent; orarentque ne in tam arctis rebus Lucam desereret: Florentinorumque praedam esse sineret. Dum legati eunt, interim ne respublica diutius sine summo ordine esset, XII. viri una cum decemvirorum collegio, legendo senatui incubuere. lecti ex singulis tribubus XL. penes quos summa, quae penes populum est, potestas esset: dum non minus frequentes LXXX. in curia adessent: idque ratum foret, quod initis suffragiis dodranti placuisset. convenere in curiam IV. id. octobris: quo die primum integra novae libertatis species, oculos ho-

minum implevit. Sed cum redintegrato jam bello, morbisque insalubri adhuc autumni sidere saevientibus, difficile patres coirent; decretum ut iterum XII. viri cum summa potestate crearentur; qui in eo magistratu usque ad kal. januarii essent: conjectis in eum numerum tribus e priori collegio, ne quid per novitatem ab inexpertis peccaretur.

Prima novi magistratus cura, diruendae arcis a Paulo extructae fuit: ne quis ea potitus, dominatum iterum occuparet. Veterum exemplo, qui libertate a Pisanis recepta, augustam, quamvis egregii operis, eadem causa diruissent. itaque XV. kal. novembris excindendam, soloque aequandam decrevere. dirutis tamen eversisque molibus, appellatio ad haec tempora loco mansit. Per idem tempus cum Paulus Balbanus, vir caetera egregius, non suo, sed fortunae vitio decoxisset, ob idque legibus honores capere prohiberetur: ejus virtuti consilioque datum, ut lege solveretur, eodemque jure cum integris esset; ne respublica iniquo suo tempore, tanti civis ope careret. VI. quoque civibus negocium datum, de recuperandis Pauli Guinisii bonis, quae per eum tumultum occupata a privatis fuerant: eosque civitatis defensores appellavere. qui proposito edicto, dupli poenam iis statuere, qui intra cer-

tum tempus non profiterentur, quid ex eis bonis ad unumquemque pervenisset. Suspensam externo bello civitatem, domesticae insidiae insuper cumulato metu turbavere. nam Ptolomaeus Sublacensis militum praefectus, missus cum suis, ut frumento in urbem convehendo praesidio esset: jumenta commeatumque, cives quoque qui una erant captos in castra Florentinorum avertit. ob quam perfidiam hostis judicatus: datumque negocium certis civibus, qui propositis praemiis, capiendum necandumque curarent. Detecta quoque sub idem tempus alterius praefecti proditio: erat is Joannes Matthaeus quidam domo Bononia, qui una cum Simone Coluccio asculano ejus scriba, ac Morello quodam, consilia cum Florentinis de tradenda eis urbis porta habuerat: pretio sceleris ita constituto, ut XX. aureorum millia praesenti pecunia, ac in posterum centena militum stipendia in singulos menses, amplamque domum Florentiae acciperet. Indicium per Antonium Pisanum, quem Pontaderam appellabant, Florentinorum ducem, emanavit: cui tam bonam mentem Superi profecto injecere, ne Luca inexplicabili servitute illigaretur. itaque proditores capti, quaestionibusque confessione expressa, omnes capitali supplicio affecti: praefectusque insuper, ad aliorum terrorem in

frusta discerptus. Per haec kal. novembres aderant; magistratuque a novis decemviris inito, Stephano Podio collegii principe; fervente in dies magis florentini belli apparatu; ut civitas ad obsistendum instructior esset, adlecto, ob recens meritum, in civitatem Antonio Pisano, armorum imperium illi delatum. Creati quoque sex viri, penes quos summa bellicae rei potestas esset: eorumque supremi arbitrii forent, bellum, pax, induciae, foedera; et quicquid aliud civitati tuendae opportunum ducerent. fuere ii Nicolaus Burlamaccus, Dominicus Arrighius, Petrus Cenamus, Laurentius Trenta, Paulus Balbanus, et Joannes Bandinus. nec diu a Florentinis cessatum. qui praeter eos milites quos ex agro collegerant, cum exercitu trium millium peditum, ac quinque millium equitum externorum, ducibus Guidone Montefeltrio ac Nicolao Fortebraccio, ad obsidendam Lucam iterum affuere. non eo consilio, ut vi et oppugnatione res gereretur, sed ut moenibus ignave assidendo, fame edomitam, in suam potestatem urbem deditione pertraherent. quippe non satis commeatibus instructam, et diuturnae obsidioni imparem futuram. Sub eorum adventum novi legati Mediolanum missi, qui cessantem regulum impellerent, Petrus Ce-

namus et Joannes Ghivizzanus e civitatis liberatoribus. Nec minori cura Martinus pontifex maximus optimi parentis partes obibat: opisque per se ferendae impotens, regulo instabat ne laboranti Lucae deesset. qui quamquam amicae urbi omnia cuperet, tamen foedere se impediri, quominus Lucensibus auxilia submitteret, causatus; scripturum se Genuensibus affirmat, ut reipublicae eorum nomine Lucensibus tamquam foederatis opem ferrent. quamquam enim Genuenses, tunc reguli dictionis essent, tamen manebat aliqua reipublicae forma, ut quaedam auspiciis arbitrioque suo facere permitterentur. Magistratus acceptis literis, primum missis oratoribus, Florentinos a suscepto consilio avertere tentavere. veterem amicitiam cum Lucensibus, perpetuumque finitimorum populorum foedus, ipsos cogere, ut pro sociis laborarent, affirmantes. Sed ei quoque legationi superbe a Florentinis responsum: » mirari se, quo pacto alieni juris homines » oratum publice venissent. si suo nomine » agerent, nihil responsi se daturos iis qui » nullam rempublicam haberent. sin reguli » nomine, sub cujus imperio viverent, curae » sibi futurum quid ei responderetur ». Genuenses eo responso irati discedunt, minaci denunciatione, brevi se ostensuros, sui ne an

alieni arbitrii essent. cumque domum ea renunciassent, tanta repente indignatio coorta est, ut absque ulla mora, Piccininum apud eos hibernantem, cum tribus equitum, sex peditum millibus, interque eos mille ballistariis genuensibus, militiae assuetis, ac veteranorum robore, citato agmine Lucam ire jusserint: quamquam foedis imbribus, caeloque immodicis tempestatibus hiemante. Erat Piccininus jampridem, ut Lucensibus amicus, ita Florentinis iratus: quippe dum eorum stipendiis militaret, contemptui habitus, moxque iis relictis, tamquam desertor ac proditor, per ignominiam verso deorsum capite in foro pictus. quare publicas Genuensium, privatasque injurias ulturus, sociisque simul laturus opem, avide iter arripuit: perque provinciam lunensem, Versiliaeque oram in proximos Aesari campos descendit. Fortebraccius, fama de Piccinini adventu cognita, ejus sententiae erat, ut signa cum eo minime conferrentur: neque summa res in aleam daretur: sed manu duorum millium secus Freddanam (id parvo fluvio nomen est, qui non longe ab urbe Aesarem influit) in praesidium munitionis ad Montemmagnum extructae missa, unde Piccinino aditus in campos urbi proximos erat, obviam hosti iretur. Ea re aut prohiberi transitu hostes: aut si id

nequiretur, impediri commeatus posse, quorum inopia regredi cogerentur. quod consilium neglectum, Piccinino victoriam, Lucensibus salutem libertatemque attulit. itaque Piccininus, prohibente nullo, ad Aesarem pervenit. Sed nulla in alteram ripam evadendi spes monstrabatur. nam et Pontem D. Petri Florentini arcta custodia sepserant: flumenque hibernis aquis praeter morem auctum, cunctis circa late stagnantibus, certum exitium vado transituris minabatur. nec ullae rates in promptu erant, quibus traiici milites possent: cunctusque Florentinorum exercitus, ab urbis obsidione ad prohibendum fluminis transitum aversus, fulgentibus armis in ripa stabat. Quare iis qui temere evadere tentassent, luctando cum flumine ac gurgitibus fessis, cum quietis ac integris depugnandum erat. Igitur ne victoriam temeritate corrumperet, eo loco ad noctem substitit. missoque clam qui cives admoneret, ut sub lucem parati et in armis essent, ipse nocte concubia, per aversam ab hostibus partem sentiente nullo cum copiis progressus, aquisque jam subsidentibus, tentare vadum decrevit. Itaque III. nonas decembris luce adhuc dubia, ut caeteris animos faceret, qua brevior aquarum vis spem transitus dabat, alveum fluminis ingressus, caeteros

sequi se jussit. quibus strenue ducis imperium, sed exemplum magis exequentibus, incolumes in alteram ripam evasere. ibi dato suis aliquanto ad quietem spatio, sub meridiem tacite in castra Florentinorum, qui cibo paulo ante sumpto graves, nihilque tale opinantes secure agebant, ire perrexit. Eodem tempore qui in urbe erant, accepto signo, quod inter se condixerant, portis repente patefactis, hostesque a tergo adorti, tantum terrorem injecere, ut ancipiti malo deprehensis, fuga passim ac trepidatio fieret. dumque alii ad capienda arma, alii ad infraenandos equos inscendendosque discurrunt, alii alios appellant, dissonis clamoribus tumultuque omnia compleverant. Piccininus Lucensesque instare perculsis, trepidantesque et improvisa clade attonitos, novo insuper terrore onerare; caedemque potius quam pugnam facere. nam cum armati semiermes, parati inopinantes invasissent, ruinae quam praelio omnia similiora erant. quippe alii ferro ac vulneribus truncati; alii lubrico solo, ac fallente vestigio, in palustri limosaque humo prolapsi. equorum pedibus obterebantur. Alii dum fugam spectant, jacientium corporibus implicati, praeda hostium fiebant. donec effusis habenis, primi duces, qua cuique promptum fuit, cumque iis pauci, fugam arripuere: al-

teri in alteros ejus cladis culpam conferentes. Et certe non parum obfuit discordia ac aemulatio ducum; nam dum Fortebraccius bello potior, aegre sibi praeferri patitur urbinatem regulum, ut principatu majorem, ita militari gloria minus clarum: nec imperandi in altero, nec in altero obsequendi virtus erat. Summam caesorum captivorumque alii aliter edidere: florentinarum rerum scriptoribus, extenuendae victoriae numerum praecipue minuentibus. plures tamen capti quam caesi. ad mille equorum victores abegere: interque captivos plures nobiles honestique, et ex quibus, redemptiones sperari possent supra mille. qui omnes Piccinino, victoriae fructus, traditi. castra praeterea cum impedimentis, omnique apparatu belli capta. Pugnae spectaculum cum prope ederetur, omnis urbana, senum, puerorum, feminarumque turba, aut prae muris stando, aut e domorum fastigiis turribusque, oculis hauserant. itaque ubi caesos fugatosque hostes, nostrosque victoria potitos aspexere; juvantibus etiam laetis militum clamoribus oculorum fidem, repente veluti lymphati amentesque gaudio, cuncti extra urbem se se ad diripienda castra, legendaque spolia effudere. nec quisquam fuit, qui laetissimae illius diei fructum non perciperet. tum certatim singuli laudibus

ducem ad caelum ferre. illum vere patriae parentem, illum urbis liberatorem servatoremque. complecti milites, manus eorum exosculari, patronos, manantibus gaudio lacrymis, appellare. Et quidem, si quisquam alius, lucensi populo laetus ille dies, ac memorabilis extitit: quo tam insigni clade attritis Florentinorum opibus, aut diuturna, aut perpetua, a tam infestis ostiuatisque hostibus, quietis spes affulsit. Observatum est, eam victoriam in festum diem divorum Jasonis Mauri et Hilariae incidisse; quorum sacra corpora in basilica martinjana condita sunt: tamquam junctis consiliis, lucensi libertati tuendae superi hominesque pugnassent. Per hunc modum decimotertio tandem mense quam Luca a Florentinis obsideri coepta est, obsidio soluta. Alia fama est, justa acie signisque collatis pugnatum: quam tamen minime sequuti sunt, qui Piccinini vitam resque gestas diligenti stylo posteris tradidere. Illud apud omnes certum est, victoriam penes Piccininum Lucensesque fuisse: magna hostium parte caesa, pluribus captis, caeteris fusis fugatisque: castris insuper impedimentisque, ac omni bellico apparatu amisso. Quod ubi Florentiam nunciatum est, perturbatio ingens animos incessit: tum acceptae cladis magnitudine, tum quia pisana res

in discrimen vocabatur, si Piccininus victoria uti maluisset. augebatque trepidationem civium discordia: aliis impii funestique belli dignum exitum affirmantibus: aliis renovandum, nec despondendum animum contra tendentibus. Praecipua in praefectum Guicciardinum indignatio erat, quem, quod post discessum Sfortiae civitatem obsidione non ursisset, corruptum lucensi auro criminabantur. dedissetque iratae plebi poenas, nisi propinquorum potentia, ejus furori subtractus esset. Praeterea civitas crebris collationibus exausta, contra decemviros rei militaris fremere, maleque auctoribus ejus belli precari: adeo ut, etiam florentinorum scriptorum testimonio, nihil invisius esset iis, qui lucense bellum suasissent. tamen querelarum dolorem vincente cupiditate, literae ad duces missae, ut quanta maxima cura possent, reliquias exercitus colligerent, darentque operam ne respublica quid detrimenti caperet. Piccininus sub vesperam urbem inter effusas gratulantium voces ingressus, ejus diei gaudium cumulavit. nox festis ignibus ludisque ac conviviis celebrata. placuitque in celebri urbis loco, Piccininum in facti memoriam pingi phalerato equo insidentem, ea specie qua triumphans urbem ingressus esset: et ante eam imaginem quotannis faces, festosque ignes sub no-

ctem III. non. decembris excitari. qui mos ad haec usque tempora, per CCL. annos inviolatus mansit. decretam illi ex S. P. equestrem statuam Jovius auctor est: sed quod ex aere poni non potuerit, simulacrum ejus pictura in foro spectari. Sed Jovium arguunt acta senatus, in quibus nulla equestris statuae mentio: nec ea pictura in foro, sed prope palatium a porta in forum euntibus spectatur, ut mirum non sit arcanas senatus tabulas ignorasse, qui rem oculis obviam, et in publico sitam minime aspexerit. Sequenti die gratiae caelestibus actae, solemni supplicatione per urbem ad divorum templa indicta. Deoque victoriarum auctore, post tot clades, omnia laeta in unum congerente, eadem die nunciatum est, Senenses Genuensesque, Martini pontificis, cui lucensis civitas cordi admodum erat, regulique mediolanensis instinctu, icto foedere ad lucensis libertatis tutelam coisse: eique foederi Jacobum Appianum Populonii ac Ilvae dynastam nomen dedisse: relicto Lucensibus loco, si et ipsi ei adscribi vellent. Parta tam insigni victoria, suadebant nonnulli, ut florentinus ager invaderetur: Pisas etiam exulum ope occupari posse ostentantes: sed Piccininus satis actum soluta obsidione dictitans; ad recuperanda loca eo bello amissa, urbemque

operibus commeatibusque muniendam animum adjecit: ut si forte a mediolanensi regulo, minitantibus illi jam Venetis, revocaretur; respublica per se hostibus obsistere posset. Ipse itaque in lunensem oram profectus, brevi Carrariam, Fosdinovum, Ortonovum, Fivizzanum, Legulam, totumque lunensem tractum, praeter Apuam, recepit: Nicola oppido ob incolarum contumaciam superbiamque direpto incensoque. Interim Antonius Pisanus loca urbi propinquiora, pulsis Florentinis in potestatem lucensis populi redegit. ac intra decem dies, pontem D. Petri, munitionem ad Montemmagnum, Pontemtectum, arcemque adjectam recepit: quamquam in ea oppugnatione ipse vulnere ictus. cujus loci jactura, magno Florentinis stetit: cum machinas ac tormenta, eaque quae oppugnandis urbibus comparari solent in eum locum congessissent. Nec recuperasse sua contenti Lucenses, in pisanum quoque agrum etiam transgressi, Nodicam, id oppido nomen, occuparunt; capta mox etiam arce ad Filicajam. datis quoque per eos dies ad regulum ferrariensem literis, illum officii admonuere: oppidis repetendis, quae florentini belli tempore, tutelae nomine occupasset. a quo benigne rescriptum, se ea lucensis populi nomine tenere, redditurumque cum fide, si

sumptus sibi praestarentur. caeterum id eo tempore se importune facturum, Florentinis novum bellum obsidionemque comparantibus. quibus verbis decepti patres quievere: neque ad hanc diem a bonis tutoribus quicquam aequi impetratum, posthabito jure dominandi libidine.

Interim kal. januarii aderant (1), quibus novi decemviri magistratum accepere, principe Laurentio Bonvisio. Erat Laurentius, parta nuper praecipua ipsius opera libertate, celebris: eo magis, quod affinitate Guinisiae familiae innexus, privatas necessitudines reipublicae posthabuerat. ingentes illi opes, nec animus minor: sapientia praeterea ac magnitudine consilii priscis illis romanae rei patribus comparandus. ob quae maximis reipublicae negociis adhibitus; amplis legationibus, iterato octies decemvirali principatu, in quo demum extinctus est, eam claritudinem in familiam intulit, qua non Etruriae modo, sed etiam principes Italiae gentes aequavit: tot claris senatoribus, e quibus alii parentes patriae, alii religionis defensores appellati: et quod longe maximum est, tribus romanae purpurae egregiis principibus intra annos XC. datis. Ut interea ma-

(1) An. 1431.

ximum gentis decus Joannes Laurentii germanus sileatur: qui humanarum rerum gloriaeque pertaesus, asperam Minorum sectam amplexus, ob caelestes virtutes thure et aris colitur. Eo igitur decemvirorum principe, quoniam novissimo foedere cautum erat, ut praetor urbanus e Genuensibus caperetur, qui publicis consiliis legationibusque audiendis interesset, e quatuor quos Genuenses nominaverant, Antonius Spinula electus est. cumque aerarii rationes, tot millibus bello superiore profusis, angustae essent, datum negocium sexviris, summam trium millium aureorum civibus ex S. C. impositam redigendi. Comitia quoque intercalario mense habita, designatis in annum decemvirorum collegiis, cum antea in biennium crearentur. quippe urbe pestilentia exhausta, pauci erant qui honores capere possent. Ob eam bonorum civium inopiam, Antelminellorum quoque, ac Quartigianorum familiae, quae olim ob nimiam potentiam populo graves, a republica submotae fuerant, Antonio Tegrimo et Bartholomaeo Arrighio consulentibus, honoribus restitutae: Petro Cenamo frustra in contrarium adniso. Per idem tempus, cum Florentini ereptam e faucibus suis Lucam aegre concoquerent, obsidioni integrandae omnia sedulo comparabant. Interim tamen, si fraude assequi

possent, quod viribus nequiverant, moliendum rati, per Rodulphum quemdam nationis suae, qui stipendiis Lucensium militans, dissimulata origine, Lucardensem se ferebat, adjuncto Jacobo Feltrensi occupare urbem tentavere. Sed conjuratione comperta, sontes supplicio affecti. quemadmodum paulo post factum Petro Arretino, qui eorumdem Florentinorum instinctu proditionem coeptabat. Inter quae christiano orbi, sed lucensi praecipue civitati incommoda accidit Martini pontificis mors; qui X. kal. martii repente rebus humanis exemptus est. Studiosus fuerat civitatis nostrae Martinus, diu in ea cum Gregorio XII. diversatus, Paulo Guinisio rempublicam obtinente; haeseratque alte animo ipsius hospitii memoria: sicuti nunquam exciderat Florentinorum injuria, amarique joci, quibus famam ipsius laeserant. quare ut se illis incommodum, ita rebus nostris aequum semper praebuerat: maximeque novissimi belli tempore, omni ope connisus fuerat, ne Luca in eorum manus veniret. ut propterea non communis tantum saeculi, sed praecipua etiam civitatis nostrae felicitas appellari jure possit. Successit illi intra paucos dies Eugenius IV. Gregorii XII. sorore genitus: qui parum memor humanitatis avunculo a Lucensibus impensae, seque ab iis in civitatem ad-

scriptum, per ipsa sui principatus initia, eorum libertati parum aequus fuit, plus justo Florentinis tribuendo. quippe illorum instinctu, specioso quietis italicae praetextu, literis legatisque ad foederatos principes populosque missis, eos hortatus fuerat, ne superioribus annis initum inter ipsos foedus rumpi paterentur. Senensibusque praecipue per Nicolaum Albergatum unum ex purpuratis, magni tunc in romana aula nominis, denunciaverat, ne Lucensium rebus se se immiscerent. nullo tamen fructu, cum aliud verbis, aliud re ageret: bonusque ille pacis conciliator, Lucam vexari bello sineret. quin ubi eum favere Florentinis palam cognitum, tanta in eum odia exarsere; ut et ipse magnis calamitatibus implicitus sit: et non Etruriam modo, sed et Galliam Cisalpinam Liguriamque ardere bello conspexerit, rebus undique terra marique turbatis. Quippe rursus a Venetis Florentinisque in mediolanensem regulum renovato foedere, belli fores Italiae malo iterum patuere. quamquam enim foedus inter eos populos, Martino adhuc incolumi ictum; bellumque a Venetis regulo indictum III. non. februarii, ex diariis ejus reipublicae constet: haud tamen nisi sub Eugenio susceptum gestumque est. Hoc igitur bello imminente, Lucenses foederi Senensi

Genuensique, quod supra memoravimus, nomen dedere: cujus legum haec summa fuit. » Si Senensibus inferre bellum Florentinis placuerit, Lucenses Genuensesque terra marique, finitimas lucensi agro eorum terras hostiliter invadunto. nullus foederatorum, quempiam a sociis hostem judicatum, suis oppidis, urbibus, terris recipito. bellum item, inducias, pacem cum quoquam privato nomine ne facito. Cui sociorum a quovis regulo, aut libero populo bellum ingruerit, singuli opem ferunto. Lucenses, quamdiu bellum erit, D. cataphractos equites, totidem pedites sumptu suo alunto ». Sub idem tempus, Castilioncello, Reviso et Riniano lunensis provinciae oppidis, semet per legatos lucensi populo dedentibus, missi Nicolaus Manfredus, Antonius Arrighius, et Nicolaus Burlamaccus, qui sacramentum reciperent, legesque imponerent. Inter haec Piccininus a lunensi expeditione, montano itinere Lucam redierat: pisanumque agrum X. kal. aprilis infesto agmine ingressus, Calcium nullo negocio expugnavit, praefecto ipsius capto: totaque adjecta valle occupata. inde Verrucula, munitissima arce, potitus, Cassianum, cum plerisque pisani agri oppidis in potestatem redegit. continentique victoria in volaterranum agrum transgressus,

Vada, aliaque maritimae orae oppida uno impetu cepit. donec veneto bello jam ingruente, a regulo in Insubriam revocatus, reversus est hostili praeda lucensique auro onustus: praeter pecuniam stipendii nomine acceptam, magnis donis auctus: cum maximum ipse civitati relinqueret. Inter belli curas regulus literarum non oblitus, quas etiam in longa pace ac tempestate principes viles habent, epistolas ad senatum dedit, quibus significabat, gratum illi facturos, si ex iis voluminibus, quae Paulus Guinisius magno studio comparasset, certa quaedam ad eum misissent. ea petitione moti patres, Ticinum usque pontificii juris codicem, tresque Livii historiarum romanarum decades, membranis inscriptas, argentoque, ac purpura inclusas, ad eum misere. Piccinino in Insubriam reverso, Lucenses aliquam sibi quietem a Florentinorum injuriis, ob acceptam cladem, polliciti, oppidis eo bello amissis recuperandis incubuere. aggressique forum Clodii kal. julii illud obtinuere. Mox mercede conducto Ludovico Columnensi, eoque in provinciam feroniensem ad recipiendum Castellionem misso, brevi illud quoque recuperatum. Sed ea victoria damno repensa. quippe eadem die Florentini Calcium Lucensibus ademere. et quoniam oppidanos Lucensium studiosos cognitum

est, in eos omni clade saevitum. quippe direptae domus, foeminarum violatus pudor, viri capti, Florentiamque adducti. Castellione recepto, Columnensis ad recuperandum Feroniae fanum profectus est. Sed Florentinis ad Lucam iterum obsidendam, duce Michaleto Attendulo, octobri mense, adventantibus, trepidis patrum literis revocatus, eam expeditionem omisit. Verum hostes, cum omnibus ad propulsandam vim comparatis, nulla potiundi spes monstraretur, in pisanum agrum concessere: territi insuper nunciis, quibus afferebatur, Senenses cum magnis copiis, opem laturos Lucensibus, prope adesse. Nec eo anno aliud quicquam gestum, ob immodicos imbres, qui per autumnum e caelo delapsi, omne militare opus prohibuere. Sequens annus (1) faustis auspiciis ingressus est, recuperato ipsis kal. januariis oppido Rota ad sextinum lacum (2) sito, captoque Bartholomaeo Gherardo, cujus proditione id oppidum amissum erat. qui cum catenis oneratus per urbem duceretur, furentium impetu lapidibus obrutus est. cadaver unco tractum, ac per pedes e furca suspensum. Eam victoriam

(1) Ann. 1432.

(2) Lago di Bientina.

pene consequuta est urbis clades. quippe Florentini, uno ex praesidii praefectis pecunia corrupto, pridie kal. martii, noctu eam muri partem aggressi, quae ad occidentem ac septemtrionem vergit: admotis scalis duo e propugnaculis ceperant, magna militum multitudine in muros transgressa: capto etiam Agnello Fondera praesidii praefecto. Sed a Nocco quodam pisano detecti, qui Antonio Vannucoro uni ex decemviris, muros stationesque ex militiae more obeunti apparebat: ab eo primum, qui strenue pugnando obtruncatus est, mox a militibus, ad eum tumultum confluentibus repulsi, ac e scalis murisque praecipitati. Septem eorum capti, ac e pinnis murorum suspensi, infelicis audaciae poenas dedere. Strenuo viro, qui vitam in civitate tuenda profuderat, qua potuit, gratia relata: constituta seni patri, parvisque liberis annua pensione, quam ex aerario caperent, solatium orbitatis. Ad ejus periculi famam, paucis post diebus Ludovicus Columna, et Leo Taleacotius Lucam advolavere, opem suam reipublicae ostentantes. quorum adventu Florentini malum aliquod veriti, Toporium (1) pisani agri oppidum recessere.

(1) Montopoli.

Adfuit quoque Arditio carrariensis, clarus eorum temporum militiae fama; qui mercede conductus, et ad fanum Feroniae oppugnandum cum suis copiis missus. Eodem tempore Antonius pisanus cum Michaleto, ad oppidum Martim in pisano agro collatis signis, eum magna clade fudit.

Inter haec Sigismundus imperator, tum Italiae pacandae studio, tum coronae pontificis manu accipiendae Italiam ingressus; cum aliquot dies Mediolani substitisset, per regionem Taro amni adjectam, Apuamque, et Apennini juga in lunensem oram, atque inde Lucam pridie kal. junii pervenit: ibique ad XXXVI. dies substitit. Exceptus est omni honoris significatione, ac pro imperii majestate cultus: quamquam turbidis adeo reipublicae temporibus, angustisque aerarii rationibus. Meminerant Lucenses parentis ipsius Caroli, quo auctore acerbo Pisanorum dominatu erepti fuerant: et quamquam pauci, reliquis bello aut morbo absumptis, supererant, qui laetum illum diem vidissent: haerebat tamen animo beneficii memoria: quodque amoris venerationisque parentes Carolo, id liberi Sigismundo impendebant. Advenienti praesto ei ad portam urbis fuit princeps decemvirorum Nicolaus Stregus, quinque e collegarum numero comitantibus, cum toga prae-

texta, cultuque summi honoris: universa nobilitate una cum regionum vexillis ac plebe, nec non sacerdotum collegiis obviam effusis. Caesar equo urbem invectus est, aureum velum, lectis e primoribus patrum hinc inde praeferentibus: choro nobilium puerorum cum tunicis sericis purpureisque, carmina in ejus honorem praecinente. Ea pompa in palatium perductus, regio cultu ac magnificentia instructum. caeteri proceres per domos civium potentiorum distributi, ac magnifice habiti. exercitus, mille tantum equitibus in urbem inductis, prope muros consedit. Adventum caesaris novum gaudium cumulavit. quippe ipsis kal. junii Lucensium copiae cum Florentinis ad Toporium congressae, insigni victoria illas fudere: trecentis equitibus, tribusque militum praefectis, filio scilicet Nicolai Tolentinatis, egregii ea aetate ducis, qui Florentinorum stipendiis militabat, Nicolao Pisano alteroque, quem militaribus facetiis a quaerendis litibus Cattabrigam appellabant, captis. Siquidem captos eos in veteribus annalibus reperio, cum Tuccius caesos memoriae prodiderit. Florentini reparatis viribus, VI. idus junii, nullo imperatoriae majestatis respectu, ducibus Michaleto ac Nicolao Tolentinate, qui dolore simul ac ira, seu capti, seu extincti filii incensus, privatas quoque injurias ultum

ibat; cum duobus equitum millibus, majore peditum numero, lucensem agrum ingressi, castra ad tres pontes posuere. inde urbem tentare minime ausi, instante jam colligendarum frugum tempore, agros late villasque depopulati, nullo crudelitatis genere omisso, in pisanos fines concessere. Contra caesar, ut hospitibus suis egregiam aliquam operam navaret, aliquot e turmis cohortibusque ad obsidendam Bargam, clarum oppidum in montanis ad Aesarem situm, olimque Lucensium ditioni avulsum, submisit. Sed agro incendiis ac populationibus vastato, oppidum ipsum capi minime potuit. nec ea clade Florentinos affecisse contentus, immisso equitatu, una cum Lucensium copiis, pisanum agrum frugibus jam maturis, circa Librafactam Vecchianum usque depopulatus est: hostibus metu se se continentibus, ac prohibere minime ausis. Lucensium quoque libertati magis firmandae, III. kal. julii, qui dies christiano orbi, ob memoriam principum Apostolorum solemnis habetur: cum pulpitum in foro contabulari jussisset, imperatorio cultu amictus conscendit: sedensque procerum medius, circumfusam populi concionem breviter allocutus: mentione Caroli patris, cujus beneficio ante annos LX. libertatem civitas recepisset, gratissime injecta, venerationis fideique

erga romanum imperium admonuit. » Florentinos potentes pertinacesque hostes esse: sed » eorum conatus, ut hactenus factum sit, in » irritum casuros, si concordiam servassent. » hac una re invictos fore. satis constare, » lucensem urbem tot periculis ereptam, superis hominibusque curae esse. de se polli» ceri; aliis caesarum pro merito, satis scire, » cordi futuram ». Decemviris inde sacramento adactis, mansuros se incorrupta, ut hactenus fecissent, erga romanum imperium fide: idem populum facere imperavit: qui sublatis duobus dexterae manus digitis, et clamore assensus est. Tum caesar omnia jura, ac immunitates lucensi populo ratas esse: ejusque rei documentum publicis tabulis extare jussit. quibus peractis, inter faustas populi acclamationes in palatium regressus, III. non. julii, prosequentibus universis Lucensium copiis, urbe excessit. Dona ei magnifice, quantum turbulenta adeo et incommoda reipublicae tempora patiebantur, data: additis ex aerarii angustiis tribus aureorum millibus. discessit quam Lucensibus, ob impensa officia, amicus; tam Florentinis ob injurias infensus. quarum insidias veritus, prope Guissianam amnem Arno trajecto, secus Eram fluvium copias ducens, per volaterranum agrum amnemque Cecinam, in maritima Senensium loca

pervenit. inde Senas petens, in ea urbe substitit, donec ab Eugenio pontifice, quem magnis suspicionibus odiisque in eum Florentini impleverant, Romam adeundi, aegre ei tandem potestas facta est. Discessu caesaris, exercitusque in ejus tutelam profecti, nudatam urbem, Florentini captato tempore invasere. Et primo Ranerius perusinus cum CL equitibus; Fornainus cum LX cataphractis, magnoque praeterea equitum numero, Forum Clodii, quod nuper amiserant, recuperare aggressi: cum diu multumque in ejus obsidione frustra laborassent, tandem, cum auxilium submitti non posset, partim vi, partim dolo potiti, sacra aede excepta, in caeteras domos ferro ac igne saeviere. viris feminisque Florentiam abductis, praeter morbo aut aetate confectos; quos non misericordia, sed inopia consilii relictos, urbemque inde miserabili agmine petentes, paterno sinu respublica excepit aluitque. Inde in praefecturam limensem profecti, Julianum, nobile ejus regionis oppidum cepere. maxima oppidanorum parte abducta. continentique impetu Mozanum ad Aesaris laevam situm clarum emporium, non Etruriae modo, sed etiam Galliae Cisalpinae Liguriaeque mercatoribus frequentatum, captum direptumque, flammis deformavere. in qua clade illud memoratu sae-

vum barbaricae crudelitatis exemplum editum; quod imbelli turba (ad L. fuisse constat) in aedis sacrae turrim confluente, occlusisque foribus hostium impetum prohibente, excitato circa aggestis arboribus incendio, vivos ad unum cremavere. Eadem clade Villa Basilica periit, oppidumque magna ex parte, hostium rabie dirutum incensumque. mox in plana circa urbem transgressi, alterius messis spem, vastatis agris corrupere. ob quae justitium indictum, animis omnium in belli curam conversis. Antonius quoque Pisanus, iis auditis venia a caesare impetrata, Senis cum duobus MM. equitum advolavit: populatusque totam regionem circa Naevulam amnem (1), magnisque praedis actis, urbem annona laborantem levavit. recreata quoque est egregii civis Bartholomaei a Porticu providentia. qui privato sumptu tria millia modiorum frumenti invexit. Eodem anno, cum aliquandiu in senatu certatum esset de creandis iterum sex viris gerendo bello, cum veteres magistratu abissent: tandem vicit eorum sententia, qui creandos censebant. Creati Antonius et Dominicus Arrighii, Chellus Podius, Nicolaus Manfredus, Laurentius Bonvi-

(1) Nievola.

sius, et Paulus Balbanus. nec adversus tam contumaces hostes ulla cautio supervacua erat. qui non contenti vi et armis agere, quotidie dolis etiam insidiisque occulte grassabantur. Nam eodem anno corruptis pecunia duobus militum praefectis, quos eorum temporum voce Conestabulos appellabant, Christophoro nucerino, et Grattavillano bononiensi, proditione urbem capere tentavere. Sed patefactis consiliis capti, Casano Spinulae praetori urbano puniendi traditi sunt. cumque item cognitum esset indicio Matthaei Cionis pisani, Nannium quemdam arretinum militum praefectum, clam cum Florentinis pactionem inisse, Montemcarolum, in cujus praesidio erat, iis prodendi, Nannius captus, supplicioque affectus: indici VII. aurei in singulos menses ex aerario, fidei praemium, decreti. Denique hoc anno Ticini supremum diem obiit Paulus Guinisius; Ladislao caeterisque ejus filiis a regulo in amicitiam receptis: cum parentem, falsis de eo sparsis rumoribus, principatu amotum, Sfortiae arte cognovisset. Ferunt novissima valetudine affectum, mortique jam proximum, Ladislao maximo natu e liberis, jamque trium filiorum parenti, qui solus morienti assidebat, obortis lacrymis, praehensa ipsius manu, ipsi caeterisque liberis fausta e caelo precatum adjecisse: » quam

» fluxae incertaeque mortalium res essent, non » illi tantum, sed et posteritati universae do- » cumento se fuisse. caperet proinde domesti- » cum exemplum: proculque ambitione, quieta » magis et stabilia, quam turbida et praeci- » pitia mallet. clientum amicorumque fidem » ambiguam, et cum fortuna converti: virtu- » tem, ac innocentiam aeterna et mansura. » proinde plus in conscientia, quam in poten- » tiorum auxilio spei reponeret. Satis famae » sibi, satis familiae quaesitum: quique illum » tyranni invidia onerarent, nomine urgere » posse, vitiis non posse. innoxium se ac sine » crimine regnasse: acceptamque dominationem, » gestamque sine cruore, sine sanguine red- » didisse. id boni sibi ex ea calamitate ac- » cidisse, quod expiatus puriorque aeterno ju- » dici sisteretur. viveret, paternique amoris » nunquam oblivisceretur; fortunae nunquam » meminisset ». Nec multo post defecit anno aetatis LIX. cadavere templo D. Augustini illatum, nulla posteritatis cura. Haec eo anno gesta.

Felix insequens annus (1) exortus est, reddita demum reipublicae tranquillitate: quod

(1) Ann. 1433.

quemadmodum gestum sit, ita veteres annales tradidere. Attritae tam longo bello, non minus Lucensium, quam Florentinorum opes erant: plebsque tot collationibus excussa, armis armorumque auctoribus male precabatur. Lucense bellum traxerat secum principum foederatorum arma: nec Florentinis cum Lucensibus modo, sed et cum Genuensibus Senensibusque, et Insubrum regulo res erat. Venetique, qui renovato cum Florentinis foedere, bellum regulo indixerant, magna clade ad Padum fracti, pacem spectabant. Haud minor Insubro otii cupiditas, filiae nuptias generumque Sfortiam, labentis Vicecomitum familiae munimentum meditanti. unde opportune a caesare adhuc Senis agente, pacis mentio injecta. cui tractandae Senas cum potestate missi Gregorius Arrighius et Nicolaus Burlamaccus. neque tamen ultra IV. mensium inducias quicquam constitutum. felicius in ea re Nicolaus Estensis Ferrarensium regulus operam collocavit: quo auctore pax tandem sancita est aprili mense inter Venetos, regulum mediolanensem, Florentinosque: data Lucensibus Senensibusque optione, si ei adscribi vellent. Quod ad tuscas res attinet, iis legibus pax statuebatur: ut Lucenses in libertate essent, iisque dominationis finibus, quos ante bellum habuissent: bello capta Flo-

rentinis redderent: ipsique invicem a Florentinis occupata reciperent. captivos utrique sine pretio liberos esse sinerent. Eaedem de reddendis oppidis, Florentinis Senensibusque leges indictae. Appianus Populonii dynasta regulo Apuam, Florentinis, quae in lunensi provincia iis abstulisset, tradere jussus. quibus reipublicae nomine sanciendis missi Ferrariam Ceccardus Massa, et Nicolaus Burlamaccus. Ita demum tertio post anno, quam Florentini Lucam vexare bello eoeperant, quievere. Laetissima ea pax Lucensibus accidit, longo bello urbe incolis, agro cultoribus, fiscis pecunia vacuis. quippe eo bello impensa ad CXXX. aureorum millia in rationes venisse constat. ingens eo tempore summa, nec ex copia auri argentique nostrorum temporum aestimanda. Itaque frequentandae urbi, immunitas a vectigalibus data exteris hominibus, qui in eam migrassent. jussis eodem jure esse, qui ex alienis terris colendo agro iu lucenses fines transissent. solvendae item civitati aere alieno, mutuo pecunia a privatis accepta: auctis quarta parte rerum venalium vectigalibus, donec ea redderetur. Interim definiendis, si quae de reddendis oppidis controversiae orirentur. Florentiam a regulo missi aderant Bartholomaeus Coccia et Theodorus Boccius: qua propter pa-

tres tradendis recipiendisque rebus, ut ex foedere constitutum erat, Ceccardum Massam cum mandatis misere. a quo, quamquam aliis atque aliis difficultatibus subinde exortis, res tamdem confecta. ii quos regulus submiserat, cum in urbem venissent, benigne excepti; donaque singulis C. aureorum data. Antonio quoque Pisano, de republica optime merito, tormenta eo bello capta, caeterorum officiorum cumulum, dono tradenti, publica liberalitate, supra caetera dona, domus DC. aureorum pretio empta: datumque ne administratae reipublicae rationem reddere cogeretur. Civitas etiam Antonio Petruccio, cujus praeclara fuerant per id bellum in populum lucensem merita, ejusque posteris data. Quieta externis motibus respublica, domi eo anno turbatum. Receptam libertatem, ereptumque familiae suae imperii decus, tamquam alii e civibus, Guinisii aspexerant: impositaque in stipendia militum collatione, ipsi quoque pro virili parte rempublicam juverant: rati tunc eam ad se magis, quam antea pertinere. quippe manente in familia dominatione, imperium penes unum: in libera civitate omnes fruituros. Sed recenti Pauli memoria suspecti ac invisi; non in senatum lecti, non publicis negociis adhibiti, amissam dominationem, nec adeptam rempublicam quere-

bantur. Quare nonnullos eorum, conventus adversus libertatem agere, conscio Masino quodam e Feroniae Fano, cum solers patrum custodia comperisset; auctores capti, et in carcerem conjecti. quaestionibusque habitis, patres ne clarorum virorum morte iterum reipublicae status convelleretur, clementia usi, eos pro culpae modo in varias regiones relegavere. Michael Alexandriam Galliae Cisalpinae urbem ire jussus, Azzius Cremona inclusus, Franciscus et Nicolaus e Dini liberis, alter XL. passuum millia ab urbe agroque lucensi: alter intra reguli mediolanensis dominationem relegatus. Hieronymus Genua exire vetitus: Philippus Lazariusque ultra XL. lapidem amoti. Masinus Vercellas amandatus. nec tamen Guinisii in ea relegatione diu mansere; quippe literis reguli mediolanensis, precibusque Nicolai Piccinini sequenti anno patriae restituti; bonos cives, libertatisque amantes deinde agere. Majori turbine Eugenius pontifex jactabatur, cujus vi, Italica pax vix dum bene coalita, rescissa est. quippe hinc basileensis concilii contumacia, hinc romanorum odiis jactatus: qui Fortebraccii copiis, cui haereditaria in romanos pontifices bella erant, freti; summi sacerdotii exuto palam obsequio, rempublicam libertatemque,

creatis magistratibus, constituerant (1). Quare pontifex inter convicia, et quod atrocius est, inter infensorum tela, paucis comitibus per Tiberim scapha subvectus, mutato cultu Pisas, inde Florentiam pervenit: solemni pompa, ac in speciem triumphi ab eo populo exceptus. Nec, praeter domestica populi romani odia, externorum principum simultates Eugenio deerant; acerbo in eum prae caeteris mediolanensi regulo; a quo Sfortia gener destinatus, in Picenum; Antonellus senensis in Umbriam immissi: apertis quoque studiis erga Bononienses, qui a pontificio imperio defecerant. ob id ab Eugenio omnium malorum architectus faberque appellatus. Ita dum regulus invadit, Florentini ac Veneti, ejus potentiam veriti, pontificem tuentur; rupto foedere Italia iterum bello ardebat. Lucenses ea clade adhuc intacti, in spem venerant recuperandi oppida, tutelae nomine ab Estensi occupata. Appellaverant eum iterum superiore anno patres, veteres causas retractantem. Sed initio hujus anni res adeo caluerat, ut Laurentio Bonvisio cum regulo transigendi potestas a senatu daretur. Sed regulo moras de industria nectente remque in

(1) Ann. 1434.

dies pertrahente, cum in sequentem annum res dilata esset; intereaque mensarius genuensis apud quem perscripta regulo summa erat, forte decoxisset, solutione impedita nihil transigi potuit. ortumque deinde genuense, ac insubricum bellum, cum Etruriae quoque res turbasset, ad alia patrum animos avertit. Quare ne imparati ad repentinos casus essent, quadringentorum equitum cataphractorum manum in urbem induxere, ducibus Moretto Sannazzario, ac Bonjoanne Trotto: duobus quoque militum praefectis Joanne Molino, ac Marco Hispano, in re militari spectatae virtutis, mercede conductis. Nec minor armorum quam legum cura erat. proinde XII. cives a senatu lecti, qui vetus legum corpus recognoscerent; adderentque aut detraherent, prout praesenti reipublicae statui opportunum judicassent. ea conditione, ut per VI. menses novae legum tabulae, in praetoris urbani curia, civium animadversioni proponerentur, ac tum demum senatusconsulto sancirentur. Eodem anno Villafranchae dinastae Bernardinus ac Fieramontius, Spinectae quondam Malespinae filii, societatem clientelamque senatus populique lucensis expetivere. itaque creati VI. viri, Dominicus Tottus, Paulus Locorus, Brunectus Malizardus, Baptista Maggiolinus, Nicolaus Manfredus ac

Paulus Balbanus, qui foederis leges tabulasque, cum Joanne Borborino apuano eorum procuratore conficerent. Denique hoc anno Cosmus Medices, qui deinde patriae pater est appellatus, inimicorum factione Florentia pulsus, cum Lucae aliquandiu substitisset, comiter benigneque habitus cultusque: quamquam novissimi belli non levis auctor: non sine Florentinorum indignatione, qui aliquanto post, gravius eam rem ulti sunt, quam Cosmus in majoris fortunae fastigio positus gratiam retulerit. acriore injuriarum quam benefacti memoria. Sequenti anno (1) nihil memorabile reipublicae contigit. id tantum in publicis tabulis scriptum reperio, quod cum inter Eugenium pontificem maximum, mediolanensem regulum, ac Renatum Andegavensem, qui testamento Joannae superiore anno extinctae, neapolitanum regnum adeptus erat, foedus ictum esset, Lucensesque in eo socii atque amici nominarentur; patres S. C. probavere. Ampliorem scribendi materiam insequens annus praebuit (2), turbata iterum bello Italia; ac republica, principum caede, subjectorum defectione, hostium juxta

(1) Ann. 1435.
(2) Ann. 1436.

amicorumque perfidia vexata. Genuenses superiore anno Alphonsum aragonium, vacuum reginae morte neapolitanum regnum repetentem, Asereto duce navali praelio apud Cajetam, una cum duobus fratribus, altero Navarrae rege, altero equitum D. Jacobi Magistro vicerant ceperantque. Ea re, captivique insuper regis gloria famaque elatos, regulus mediolanensis qui tunc eorum reipublicae imperitabat, non modo spectaculo victoriae; navi qua rex vehebatur, non ad Genuae portum, sed ad Vada Sabatia jussu illius appulsa; sed etiam fructu privaverat; ipso rege sub ejus adventum in libertatem asserto: unde atrox Genuensium in regulum ira, et cupido ultionis. Accendebat recentes irarum causas vetus dolor; quod a reguli praefectis superbe sibi imperitatum existimabant: Opizinusque qui novissime urbi praefuerat, praecipuo odio apud plebem erat. quare initio hujus anni illo foede obtruncato, novoque praefecto Erasmo Trivultio in arcem compulso, libertatem avide arripuere XV. post anno, quam in mediolanensis jura concesserant. Regulus, ut par erat, ea jactura motus, reputans spes omnes, quas ingentes animo conceperat, amissa Liguria accisas; Nicolaum Piccininum cum exercitu XV. millium peditum, mille equitum statim submisit; jussum

quam maximis itineribus Genuam contendere: ea spe, posse urbem recipi, si civibus turbida adhuc et incondita libertate nutantibus, quamminimum colligendi sui spatium daretur. Dum haec aguntur, Genuenses fidei socialis obliti, sive ut regulo aegre facerent, sive ut a Lucensium parte, quos regulo ac Piccinino fidos norant, sibi caverent, subito impetu in lucensem agrum pacatum, nihilque a sociis timentem transgressi, Aventiam, Massam, Carrariamque occupavere: Fano etiam Feroniae, venientibus e Liguria Insubriaque lucensis agri claustro, quorumdam oppidanorum proditione potiti. Oppigneraverant Genuensibus ejus oppidi vectigalia Lucenses in rei pecuniariae angustiis, tot sumptibus florentino bello factis, adjuti: sed tamen retenta dominatione, praefectum magistratusque ad eam diem ipsi imposuerant, arcesque ac munitiones in potestate habebant. publicani tantum qui portoria exigerent Genuenses in oppido erant. Itaque eorum instinctu quidam e primoribus, inter quos Nicolaus Coluccius, Pardinus Cellius, Nicolaus Jofredus, et Duccinus Barberius, sublatis ex improviso vocibus, quibus genuensi reipublicae libertatique fausta precabantur, populum ad defectionem sollicitant, in arcem irrumpunt, vincula praefecto circumdant, cives lucenses,

qui forte in oppido erant, capiunt, inter quos fuere nobiles viri Nicolaus Sbarra, Sbragia Maggiolinus, et unus e Petri Cenami liberis. qui tamen paulo post ex ea custodia dimissi; cum captis per Lucenses Coluccio et Jofredo, qui tamquam defectionis principes, Genuam proditioni ostentandae legati proficiscebantur: quamquam sontes ac novissima meritos, permutare iis senatui placuisset. Nec contenti Genuenses ea oppida Lucensibus ademisse, socios quoque foederatosque abstrahere ab iis aggressi, receptos nuper in fidem clientelamque Malespinas fratres a republica abalienavere. Motos ea injuria patres, truci insuper oratione Dominicus Tottus decemvirorum princeps in Feronienses accendit: » commemoratis quae ipsi » majoresque eorum in rempublicam impie sce- » lerateque fecissent: quamquam clementer prae » caeteris et amicorum potius quam subje- » ctorum loco habiti. itaque tamquam feras » bestias, quae humanitate exuere ingenium » ac mitescere nequissent, asperis domandos. » nec absistendum, donec iterum subjugati, » perfidiae proditionisque poenas dedissent ». Sententiam principis excepit Nicolaus Manfredus, magnae tunc in republica auctoritatis, addiditque, non aurum solum, sed et sanguinem et spiritum, si opus esset, in eam rem

profundendum, dummodo contumaces rebellantesque in servitutem redigerentur. Itaque eo consulente tributum indictum, quod in alios usus converti non posset; sed eo senatusconsulto plus necessitas valuit; sequutaque reipublicae tempora, pecuniam in proditores sepositam alio avertere. Tunc tamen quod militum in urbe erat immisso, Carraria et Aventia, portusque Mutronis, nam eum quoque Genuenses occupaverant, partim vi, partim deditione recepta. Ferorienses in aliud tempus dilati, cum atrox facinus patrum curas in domesticos hostes intendisset. Inierant magistratum decemviri kal. maii, principe Silvestro Trenta, e quorum numero Petrus Cenamus recuperandae libertatis praecipuus auctor erat. ei quidam e Podiorum gente, ob interceptas divitis puellae nuptias, infensi, pessimi exempli rem adorti, privatas injurias publico dedecore ulcisci statuerant. Itaque M. Antonius Lazarusque Francisci filii, cumque iis Stephani nepotes, comite Laurentio Cattano eorum affine, egregium civem optimeque de republica meritum, et tunc maxime publicae majestatis persona venerabilem, in palatio adorti, pluribus inflictis vulneribus foede trucidarunt: citatisque equis antequam parricidium vulgaretur, in pisanum agrum profugere. Ad famam atrocis facti subito in urbe

tumultuatum, concursumque ad occupandum forum palatiumque, metu ne ea caedes opprimendae libertatis, novandarumque rerum initium foret. praesidiisque per urbem dispositis, reliquum tempus ob indignam tam clari viri mortem moerori datum. Itaque publico funere, omniumque civium lacrymis, majorum sepulchro in basilica D. Frigdiani cadaver illatum. deinde, quoniam praecipui sceleris auctores evaserant, consciis inquirendis habendisque quaestionibus animi adjecti. inter quos reperti Andreas Arrighius et Nicolaus Rodulphus e collegio decemvirorum: nec non Thomas Mercator, Joannes Burlamaccus et Franciscus quidam sciographiae artem professus. Arrighius ut omnium maxime noxius, cum in D. Benedicti aedem confugisset, latitaretque in aeditui cella, indicio proditus ex eaque latebra extractus, securi percussus est. capite quoque impietatis suae poenas luit Thomas Lupardus Dominici filius, consilia adversus libertatem inisse convictus bonaque publicata. Securi quoque percussus est Antonius quidam, qui apud Vada Sabatia in liguribus maritimis ortus, diu Lucae consuendis vestibus vitam egerat: comperto parva quaedam vexilla paravisse, Florentinorum Venetorumque insignibus notata, quae, ob Cenami necem cujus conscius exti-

terat, civitate in tumultum versa, conjuratis ejus occupandae signum proponeret. Et ne quid tot malis deesset, quibus misera civitas uno tempore vexabatur, Florentini iterum de ea obsidenda consilia agitabant, quae et in rem perduxere.

Susceperat, uti superius narrari coeptum, expeditionem in Genuenses Piccininus: sed cum nihil adversus eam urbem, jam praesidiis, atque arce in potestatem redacta praevalidam moliri potuisset; vastatis late agris, incensisque in litore navibus, quas novae libertati tuendae cives extruebant, in Etruriam transgressus, Luna in transitu capta cum Lucam venisset, in pisanos fines subinde excurrendo, captis direptisque aliquot regionis ejus oppidis, populabundus praedas agebat. Piccinini adventus, quamquam eum ut liberatorem servatoremque suum laeti aspicerent, patrum intenderat curas: suspensique et anxii ancipiti malo haerebant. quippe armatum hominem, tamque praeclare de republica meritum expellere ingratum juxta ac periculosum; fovere ac juvare. idem erat ac violatis nuper sancitae pacis legibus, iterum in se Florentinorum vires iramque convertere: qui foedere cum Genuensibus Venetisque adversus Insubriae regulum icto in armis erant. Itaque cum mul-

tum ea de re disceptatum in Senatu esset, ea demum pars vicit, quae Piccininum juvandum, ducemque ad recuperanda amissa nuper oppida creandum censebat: igitur eodem Piccinino deposcente, creati IX. viri cum summa potestate deliberandi constituendique una cum illo, quae ad bellum pacemque spectarent. magnaque in primis cura adhibita, ut in militum commeatus annonae copia ac vilitas esset. Sub Piccinini adventum ad prohibendas excursiones ejus, in pisanum agrum Florentini Nerio Capponio duce copias submiserant: utque egregio imperatori parem opponerent, emulum ipsius Franciscum Sfortiam ab Eugenio pontifice, cujus stipendiis tunc is militabat, impetraverant. qui cum justo exercitu pisanorum fines ingressus, Piccininum propius Lucam copias subducere coegerat. Prima patrum cura in Piccinino juvando extiterat, ut eo adjutore ad recipiendum Feroniae fanum uterentur: eo in potestatem redacto, caeteris lunensis provinciae oppidis haud dubie ad obsequium redituris. igitur copiis eo traductis, cum oppidani et loci munitione, et virtute vim propulsarent; longioris morae visa res, quam ut primo impetu transigi posset. sed dum obsidio comparatur, Sfortia cum Florentinorum copiis in subsidium advolat. quare Piccininus, hinc superveniente

hostium exercitu, hinc oppidanorum eruptione inclusus; cum etiam locorum iniquitate quominus explicare copias posset impediretur, victoriam de se hosti dedit. major tamen fuga quam caedes facta (1): cum Piccinini miles, et numero et loco impar, eo praesidio sibi consuluisset. captus in ea fuga Ludovicus Gonzaga regulorum mantuanorum stirpe, qui inter Piccinini duces erat, Sfortiae gloriam auxit. Piccininus collectis exercitus reliquiis, ulciscendae cladis ira, pisanos fines iterum infestis signis ingressus, agros late populando, ingentem stragem dedit: frustraque Feroniae fano tentato, alia lunensis provinciae circa Macram amnem Florentinorum oppida vi subegit: revocatusque a regulo in Insubriam, Lucenses magnis calamitatibus implicitos deseruit. Nam Sfortia Piccinini discessu vacuum spatium nactus, Lucam Florentinorum instinctu obsidere iterum constituit. Praecipua renovandi belli fax Cosmus Medices erat; qui ab exilio reversus aemulis oppressis, solus Florentiae omnia poterat. is, seu vetere in Lucenses odio, cujus tamen nulla causa suberat; sive levandae apud populares suos invidiae, quam sibi irrito priore

(1) Anno 1437.

bello conflaverat(1). potentem urbem, imperiique tusci olim aemulam, omnino tollendam susceperat. illud etiam accedebat quod redempturis vectigalium patrimonium augere solitus, ea pecunioso homini addicere belli tempore necesse erat. Inde patris exemplo, qui iis artibus creverat, perpetuus armorum suasor, cum bellum pace fructuosius expertus esset. faciebat homini spem felicius quam priore bello res cessuras initum cum Venetis foedus, a quibus si auxilia non submitterentur, saltem sociorum magnitudini non obstituros. Regulumque veneto bello implicitum dum medetur suis, aliena vulnera neglecturum. Lucenses praeteritis cladibus attritos longae obsidioni impares: utque nobilitati animi supersint nova libertate tumidae; plebi tot laboribus ac collationibus exhaustae, certe defuturos. igitur eo consulente bellum decretum. nec molitione multa opus fuit, cum ejus consilia pro imperiis essent. quippe Cosmus novo ambitus genere, mutuas pecunias tradendo civitatem universam obstrinxerat: adeo ut post ejus mortem tabulis rationum prolatis, nullus ferme inventus sit, qui illi in nominibus non esset. quod ad potentiam lar-

(1) Brutus in hist. flor.

gitione etiam validius. quippe eum a quo beneficium acceperis, nil ultra inanes querelas et ingrati nomen objecturum impune contemnas: debitor creditorque arctiora officii vincula: et ubi dicto audiens non sis, tabulae et appellandi metus. Itaque eo incentore Sfortia lucensem agrum hostiliter ingressus, antequam urbem obsideret, primum subsidia ei demere, oppida paulatim carpendo, statuit: quo veluti truncatum membris caput securius inde aggrederetur. et primo Campum Majorem, ad XII. lapidem occupavit, unde adventantibus ex Insubria auxiliis aditus, tum Viaregium ad mare situm; corrupto ante pecunia Christophoro Ricciomello; totamque maritimam oram. tentatisque frustra lunensis provinciae oppidis Carraria et Aventia, ea quae Florentinorum dictionis antea fuerant, recepit: armis victricibus Apuam usque perlatis. Deinde in Apennini incolas montanosque conversus, totam feroniensem provinciam in potestatem redegit: Castellione excepto, quod operibus incolarumque virtute invictum stetit. Lucensibus interea in unius urbis tutelam versis, quam et numero et robore peregrinae militiae validam, invectis undique commeatibus, novique operis fossis aggeribusque eductis, obsidioni tolerandae muniebant. docti superiore bello, servata et

incolumi urbe pleraque demum recepta. Nec diu Sfortia obsidendae illius consilium distulit. nam exercitu in plana deducto, corruptisque frugibus quae in agris erant, arborumque strage ac villarum incendiis cuncta late depopulatus, circa moenia consedit, sed cum opinione sua longior obsidio futura esset, parte copiarum ad urbem relicta, ipse cum caeteris in orientem progressus Montem Carolum Uzanumque clara oppida vi cepit. Civitas quamquam et militum et commeatuum copia abundaret; populusque fidei constantiaeque plenissima pectora novae libertati tuendae ostenderet, tamen sollicitudo patres angebat, ne tenuiores homines praeteritis malis fessi, cum etiam quotidie novis collationibus in belli sumptus haurirentur, tandem taedio praesentium manus darent. Itaque vocata concione, placuit per principes civitatis tempori apta oratione plebis animos, commoda libertatis disserendo confirmari. » frustra ereptam civi rempublicam, qui eam parentis potius, quam principis more tenuisset, si in acerbissimorum hostium manus » labi paterentur. Florentinos olim Lucensium » libertati inimicos, nunquam aut aperta vi, » aut dolo illi insidiari destitisse. intra pau» cos annos jam tertio Lucam obsideri; nec » dubitandum victis ultima esse passuros. bella

» ab iis non humano more geri, nec de imperio, sed de vita ac salute certari. meminissent quae novissimi belli tempore, avaritiae, libidinis, crudelitatis exempla edidissent. incensas aedes, direpta oppida, ac ruinis deformata; nihil sancti ac religiosi habitum; violata templa, foeminarum corporibus illusum; traductasque per dedecus publicum, quibus pudorem abstulissent: in ipsa quoque voluptate crudeles. si moriendum sit, honestius ferro pro aris focisque, pro patria, pro libertate corpora objici, quam compedibus ac vinculis servari. Si qui aliter sentiant, tunc mala sua intellecturos, cum superbiam minasque dominorum pati cogentur: cum diripi domos, ardere tecta, conjugum liberorumque corpora ludibrio haberi, sacras aedes violari: cum denique oppressum senatum, detractum magistratibus cultum, minutam majestate rempublicam: florentemque olim armis, divitiis, fama gloriaque civitatem, ab iis de quibus tam magnifice triumphassent, victam captamque in triumphum duci conspexerint ». His accensos populi spiritus, alia quoque res magis ad fidem constantiamque inflammavit. quippe interceptae literae quas decemviri militares Florentinorum in castra ad duces praefectosque miserant,

tantam acerbitatem praetulere, ut nemo non mori mallet, quam in tam superbos impotentesque dominos incidere. Sententia illarum haec erat: » Non placere tam frequentes Lucensi» bus, causa redemptionis permutationisque » captivorum, commeatus dari; eosque proinde » a se rescissos. obsidionem acrius quam antea » urgerent: bellumque cum Lucensibus inter» necinum (sic scripsere) gerendum sibi sci» rent: si quis urbe exisset, viros statim in» felici arbore suspenderent. foeminas praeci« sis ad ilia vestibus cum ignominia remitte» rent: » quae palam recitata, non minus indignationis odiorumque, quam sollicitudinis incussere: reputantibus cum quam pertinaci acerboque hoste res esset. augebantque terrorem facta verbis asperiora; cum dominatio in dies oppidorum jactura detereretur: amissa praecipue arce ad Pontemtectum, sub ipsis moenibus, adversus Pisanorum excursiones olim tamquam claustrum imposita; et tunc maximo usu, Ausere amne (1), atque inde per fossam ab eo deductam, commeatibus in urbem tuto a mari subvehendis. insuper partim caeso, partim capto CC. lanceariorum ac CCCC. pedi-

(1) Osari.

tum subsidio, interque eos uno ex praefectis Jacobo Turco, et Alexandro Strego, cui cum populi vexillo illuc advolaverat. Quare nihil omittendum rati, quamquam in eo consilio modicum spei esset, Jacobum Burlamaccum e prima nobilitate Mediolanum patres misere: qui eum principem amicae urbis, et tunc maximae opis illius indigae calamitatem doceret. quantumque ipsius quoque interesset, ne Florentini perpetui nominis illius, hostes tam validae civitatis accessione crescerent. Missi quoque Venetias qui apud Senatum eadem quererentur: » ostenderentque, ni Florentinorum cupiditati » fraenum imponatur, qua jamdudum ad Etru» riae totius principatum adspirent; ipsis quo» que de imperio postea fore dimicandum. » neque enim florentinum populum eum esse, » qui aut quiesceret ipse aliquando, aut quie» scere alios pati posset ». Regulus rerum suarum articulum primo obtendere: venetique belli quo implicitus erat, validam non minus quam veram causam afferre. caeterum et legati precibus, et utilitate sua motus, opem laturum spopondit. nam, aut tanta belli mole Venetis incubiturum, ut ii malo coacti Sfortiam revocarent, quo digresso florentina vis et arma languescerent; aut Piccininum, vel alium quempiam praefectorum cum valida manu au-

xilium missurum. A Venetis responsum « frustra » ab iis opem implorari, quorum hosti faverent. » si se a mediolanensi regulo divellerent, tunc » se consideraturos quid facto opus esset. » Caeterum ea legatione tantus Florentinis Cosmoque scrupulus injectus, ut ipse statim Venetias advolarit, quo patres initae cum Florentinis societatis admonitos, ad ferenda contra Lucam auxilia excitaret. Sed illis palam insubricum bellum causantibus, clam Florentinorum magnitudini invidentibus, ea legatio irrita fuit.

Interim Piccininus Lucensium periculi certior factus, urbem a se alias servatam fidei virtutisque suae iterum liberare arbitratus; ne priorem gloriam meritumque apud Lucenses partum cessando corrumperet, venia a regulo impetrata, relictoque apud Cremonam eo militum numero, qui ad arcendas hostium excursiones satis esset; ipse magnis itineribus Parmam contendit. Ibi maxima copiarum parte, quae in reguli castris militabant collecta, commeatibusque, atque aliis ad belli usum comparatis, magnum jumentorum sarcinarumque numerum, ad DC. fuisse constat, praemisit, ipse cum exercitu sequutus. Sed cum Sfortia omnes Apennini aditus, qua illum transiturum putabat, alibi fossis aut strage arborum, congestis insuper saxis, alibi praesidiis aut aliorum ope-

rum objectu clausisset; Piccininus ne si perrumpere vi iter tentasset, moras trahere, viresque parvis praeliis carpere cogeretur, impedimentis Castellionem missis, ipse in mutinensem agrum cum equitatu signa convertit, eo consilio, ut per Bononiensium fines ac Flaminiae montes in Etruriam descenderet. Sed dum florentinum agrum vastare aggreditur, capto etiam direptoque Aureolo Emiliae oppido eorum ditionis, literis reguli revocatus est, quibus res cum Lucensibus compositas, Sfortiamque in Insubriam accitum, ipsique militaturum significabat. quippe Cosmo Medice Florentiam regresso, multumque incusata Venetorum superbia, qui Florentinorum armis imperio aucti, eorum per quos creverant magnitudini inviderent; cum ex ea parte nihil spei appareret, nunciique Piccininum cum auxiliaribus copiis adventare Lucam afferrent, Sfortia ipso conciliante, quem regulus ad stipendia sua nuptiasque filiae invitabat, pax tandem aprili mense sequentis anni (1) inter Florentinos Lucensesque sancita est: cum, ut ipsi in literis ad Venetos datis conquesti sunt, Lucam in potestatem florentini populi venire, nec amicis, nec inimicis

(1) Ann. 1438.

eorum placuisset. Contigit id ipso sacro coenae die postquam Luca jam trigesimum mensem obsidebatur, praesentibus reguli legatis Petro Cotta et Joanne Taino. ei sanciendae feciales pro Lucensium parte Mariottus Alexandrinus viterbiensis, Laurentius Bonvisius, et Nicolaus Burlamaccus: a Florentinis Nerius Capponius, et Nicolaus. Valorius adfuere. atque ita demum IV. Non. maii foederis tabulae confectae. Pax in eas leges firmata, ut Lucenses liberi suique juris essent; Florentini bello capta redderent, Uzano, Montecarolo, ac Mutrone exceptis: magna quidem jactura, sed pacis libertatisque pretium erat. Ex qua pace tantus florentinae civitati, tantus Cosmo injectus moeror, Lucam jam tertio spe et opinione devoratam, e faucibus suis elapsam cernentibus; ut raro quisquam bona sua amissa tantum doluerit, quam aegre illi tulere quod non occupassent aliena. Per hunc modum eo bello defuncta civitas est, id acerbitate hostium assequuta, ut maximam laudem gloriamque apud posteros tulerit, potentissimi Etruriae populi, et tunc Pisarum accessione aucti; clarissimorum illius aetatis ducum, Fortebraccii, Sfortiae, Feltrii, totque exercituum viribus fractis, ac desperatione potiundi in perpetuum injecta. Favisse Eugenium pontificem Lucensium rebus,

inde constat, quod Piccinino ad obsidionem Lucae solvendam properanti, per urbes agrosque ditionis suae transitum dedit: calamitatibus quas ipse perpessus erat, edoctus alienis malis misericordiam impendere. eo praecipue tempore, quo cum ad pacandum christianae reipublicae statum, comprimendamque Basileensium temeritatem, ex universo orbe concilium Ferrariam indixerat, necessaria illi Italiae quies erat. quod deinde Florentiam translatum est, in eoque Eugenio pontifice, ac Joanne Palaeologo Graecorum imperatore praesentibus, graecae ac latinae ecclesiae concordia coaluit: brevi tamen, nec ultra graecam fidem duratura. Bellicis tandem compositis, patres ad ordinandas pacis res toti incubuere. et quoniam aerarium tot impensis in alendos milites, aliosque belli usus vacuum erat, eo supplendo honestis artibus prima cura extitit. tres viri tantum ad eam diem publicis rationibus praefuerant: itaque ut majore fide ac diligentia reipublicae census accuraretur, sex creari in posterum placuit. primique tunc spectatae fidei cives lecti, Michael Burlamaccus, Paulus Podius, Laurentius Bonvisius, Andreas Stephanus, Gerardus Angelellus, et Paulinus Bernardinius. cumque ob defectionem fani Feroniae liber commeatus Genuensibus interdictus esset,

in mercatorum gratiam restitui ad arbitrium senatus placuit: ut ea quoque ratione publicis privatisque utilitatibus consuleretur. Nec domesticis tantum consiliis, sed etiam externorum principum liberalitate respublica eo tempore adjuta. nam et mediolanensis regulus Nicolai Burlamacchi, quem patres ad eum oratorem miserant, suasu, praesidio quod ad tutelam urbis necessarium erat sustinendo, D. aureos in singulos menses praebuit: literis ea de re ad aerarii sui praefectos V. Idus julii datis: et senensis respublica lucensi populo semper amica, annonae levandae dono dedit IV. millia et DCCC. modiorum frumenti; cui in urbem convehendo Joannes Noccus Senas missus. Senensibus gratiae actae; datumque eorum beneficio, ut Antonius Michelius eorum civis praetor urbanus legeretur. Frequentandae etiam urbi agroque IX. viris potestas data exules restituendi, causis eorum cognitis. nec minor cura impensa iis praemio afficiendis, qui proximo bello egregiam reipublicae operam navassent. inter quos duarum virginum virtus maxime digna visa est, quae senatus liberalitatem sentiret. Fuere eae Anastasia ac Lucia vicenses (est id lucensis agri oppidum ad fines Pistoriensium in montanis situm) quae cognito Gasparem Stasemensem arcis Lucchii praefe-

ctum, eam Florentinis tradere animo agitare, virile facinus ausae, arcem ingressae, seu vi, seu dolo captum vinculis circumdant, habentque in custodia, donec praesidio accito arx in tuto esset. Itaque ob egregiam fidem dos illis ex aerario constituta, qua elocarentur. magna virorum gloria, quibus lucensis populus socer fuit. Sequenti anno (1) patribus omni studio in custodiam libertatis conversis, de Nicolai Manfredi sententia, quem insignem humani divinique juris cognitione ea aetas tulerat, S. C. cautum, ne quis civium ad principum aliquem, ductoremve exercitus literas daret, aut ab iis reciperet, quin ante decemviris inspiciendas exhiberet: gravissimis poenis in contumaces propositis. quae lex ad hanc diem, tamquam firmissimus libertatis murus sancte custoditur. Eodem anno cum Joannes Burlamaccus a Petri Cenamii caede, cujus tamquam conscius indicio proditus, in vinculis fuisset; senatus antistiti urbis Ludovico Maurino, qui Guinisio successerat, ac Nicolao Manfredo Gregorioque Arrighio permisit, ut ei poenam commutarent. quorum sententia in Siciliam relegatus; aut si mallet, Chium Aegei maris

(1) Ann. 1439.

insulam, aut aliam orientis civitatem eligere exilio jussus. Et quoniam augeri potius quam minui nobilium frequentia civitas postulabat, IX. viri exulibus restituendis praefecti, Obiciorum familiam antiqua nobilitate, et ob potentiam factionesque olim expulsam restituere: virorum illustrium veluti seminarium, unde clari bello duces, strenui consilio senatores, magnorumque regum, ac rerum publicarum praefecti; domi militiaeque spectata virtute prodiere. bonorum quae fisco illata erant nulla mentio facta: honoribus contenti caetera omisere. Religione quoque solvendae civitati ex S. C. proximo anno (1) templorum argento reficiendo, quod novissimo bello in militum stipendia conflatum erat; ea pecunia destinata, quae restituendis exulibus redigeretur. Et quoniam in summa pecuniarum inopia, luxu civitas laborabat; coercendae praecipue feminarum lasciviae, unde semper ejus mali origo, ambitioso sexu, et in sumptus licentiamque proclivi, negocium XII. viris datum; qui revocata sumptuariae legis severitate, muliebrem superbiam refraenarent. quorum lege feminis gemmarum margaritarumque usus interdictus:

(1) Ann. 1410.

vetitumque ne quae bullam, auttorquem ex auro haberet, neve duplici, aut acu picta veste uteretur. et quia a matribus familias in parvos liberos quoque id vitium defluxerat; dum comptos cultosque, suique similes videre cupiunt; arcendos mature a superbia viros rati, nec molli cultu effeminandos, modum quoque ejus aetatis ornamentis statuere. Emendandis quoque legibus XII. viris curatio demandata: cum converso reipublicae statu, multa addi detrahique, aut mutari ratio postularet. qui adhibito Paulo Castrensi, ejus temporis humani divinique scientia celeberrimo, id legum corpus ordinavere, quod ad nostra usque tempora intactum fere mansit. Cumque cognitum esset Ladislaum Stephanumque Pauli Guinisii liberos, in Liguribus apud Joannem Baptistam Fregosium affinem suum esse; ne propinquitate eorum tranquillitas publica turbaretur, poena capitis iis denunciata, si in lucensem agrum venissent: ejusdemque noxae rei facti, qui eorum colloquio aut literarum commerciis miscerentur: quive illorum nomine appellati, indicium ad decemviros non detulissent. Per initia insequentis anni (1) cum paci magis firmandae, in

(1) Ann. 1441.

senatu actum esset de renovando cum Florentinis foedere, itumque in suffragia fuisset, iis numeratis, centumque septem uti rogas inventis, unum tantum antiquare legem repertum est. Itaque facto S. C. Gregorius Arrighius, Silvester Trenta, ac Paulus Podius ad foedus cum florentino populo sanciendum lecti. cumque iidem Florentini significassent, inita cum mediolanensi regulo pace, Lucenses foederatis amicisque suis adscripsisse, senatus id ratum habuit, tabulaeque ea de re confectae: missique Mediolanum, qui reipublicae nomine cum regulo transigerent. Eo anno Petro Barbo Eugenii pontificis sorore genito, qui deinde pontificatum maximum Pauli II. nomine adeptus est, civitas data; cum id per Maurinum antistitem postulasset. Adlecti quoque in civitatem Petrus Leonius antistes auxarensis, deinde cenetensis, ejusque germani fratres, Ursus Lucas et Matthaeus e veneta nobilitate: nec non Valerius Calderinus genuensis, Sagonae urbis in Corsica insula antistes, una cum fratribus Lancilotto et Joanne: quem nostri perperam Cardellinum vocant.

Laborabat eo tempore annonae caritate Etruria, sive id vitio terrarum, solique malignitate, seu per bellum neglecto agrorum cultu. Patrum tamen providentia, in communi

inopia civitati frugum abunde suppetebat. quare sequenti anno (1) ineunte, cum Florentini veterum injuriarum obliti oratum misissent, significantes ni eis mature subveniretur, urbi suae famem adesse, senatus MM. et CCCC. frumenti modios liberaliter submisit. monstratumque eo facto quam sincere cum eis reditum in gratiam esset. quae gloria servatae florentinae urbis, cum nonnisi quinque dierum alimentis superantibus fames, et ex fame seditio immineret, iterum aetati nostrae contigit. quo tempore Carolo Guinisio II. decemvirorum principe, Cosmo III. flagitante, XXXVI. modiorum millia, apertis horreis senatus indulsit. Eodem anno reddendis oppidis, quae priori bello occupata erant, florentinae reipublicae nomine Julianus Davanzatus, et Alexander Alexandri equites Lucam venere: lectique qui cum ijs agerent, transigerentque Gregorius Arrighius, Baptista Arnulphinus, Nicolaus Manfredus, et Paulus Podius. Iisdem Florentinorum legatis petentibus, revocati ab exilio absolutique, quicumque ex quo bellum coepisset, etiam ob proditionem judicati hostes essent. Sponte etiam

(1) Ann. 1442.

patres Aldericum Malespinam Fosdinovi dynastam in gratiam recepere; merito suo illi jam pridem irati. utque in exules noxiosque clementer, ita in religionem pie senatus se gessit. nam cum census annui, ad martinianae basilicae sarta tecta, sanctae Crucis nomine constituti infra sumptus essent; decrevere patres, ut quicumque stipendia ex aerario caperent, portionem quaestoribus in eum usum remitterent. Imperatum quoque, ut qui damnatorum veniam a senatu impetrassent, mulctae nomine in eosdem usus certam summam persolverent: fideique publicae jus ademptum testamentorum tabulis, in quibus aliquid fabricae S. Crucis (sic eam vocant) non legaretur, quod postremum ad aetatem nostram manet: caetera obsolevere. Eodem anno novo magistratu respublica aucta est: creatis triumviris qui annonae praeessent. qui numerus deinde auctus: hisque temporibus bini ex unaquaque tribu annonae praefecti numerantur. Sequenti anno (1) inter senatum antistitemque (erat is Balthassar Mannus lucensis, qui Maurino successerat) de vectigalibus oppidanorum qui episcopi

(1) Ann. 1443.

dominationi parerent, amice transactum: confectaeque publicae tabulae, quas Eugenius pontifex diplomate comprobavit VI. Idus julij. Qui duo proxime consequuti anni sunt (1), nihil memoratu dignum tulere. Insequens annus (2) Nicolai Piccinini morte, reipublicae luctuosus extitit: cui servatae bis civitatis gloriam virtus ac fortuna dedere. Ortus is Perusiae humili loco, Braccii ejus aetatis clarissimi ducis disciplina tantum profecit, ut militari laude magistrum vel aequarit, vel vicerit. Ingens illi animus, et ad pericula audax: et in exiguo corpore magnae virtutes. excipere hostem, aggredi, certare acie, militis ducisque strenue munia obire, nec arte minus quam vi rem gerere. magnorum principum regumque ac rerumpublicarum armis praefuit. Saepius victor, interdum etiam communi belli marte victus captusque. fortuna illum aliquando, virtus nunquam destituit. Lucensibus praecipue felix, quorum libertatis iterum assertor, parentis patriae servatorisque nomen sibi peperit. Periit aetatis anno VIII. et L. non sine veneni suspicione. hoc

(1) Ann. 1444. 1445.
(2) Ann. 1446.

etiam inter adversa memorando, quod tam clarus dux non in acie et castris pulchra morte, sed maleficio extinctus est. Quod ad publicas res attinet, cautum eo anno, ut decemviri ad Divorum templa festo eorum die cum donis supplicarent; quorum corpora aut in urbe, aut continentibus urbi vicis asservantur. Lecti quoque cives, qui leges reipublicae administrandae ad eam diem latas in unum corpus redigerent: eaque in posterum regiminis forma esset. Tulit quoque is annus moderati animi in egregio cive exemplum, privatas injurias clementer indulgentis. Cautum erat S. C. ut M. Antonii et Lazari Podiorum, qui Petri Cenami caede majestatis damnati erant, liberi, ubi puberes facti essent, ex urbe agroque lucensi exularent. parentes ne crimen ipsorum insontibus filiis obesset, porrecto ad senatum libello supplici eam poenam deprecati repulsam tulissent, haerente adhuc animis facinoris memoria, ni Jofredus maximus natu e Petri liberis apud patres intercessisset: gratissimum parentis manibus ultionis genus ratus, si christianum se meliorem, quam filium gessisset. Sequens annus (1) dete-

(1) Ann. 1447.

cta conjuratione opprimendae libertatis, felix reipublicae extitit. Agebat Genuae apud Fregosios, quorum in ea republica magnae opes erant, Ladislaus Guinisius eorum affinis, sorore Hilaria Joanni Baptistae Fregosio, Paulo adhuc principe in matrimonium tradita: qui parentis consiliorum, in quibus novissimum spiritum effuderat, parum memor; principatum ac potentiam illius, magis quam calamitatem spectabat. itaque quibusdam ex urbana plebe, qui Genuae cum eo colloquia miscuerant, spe ac pollicitationibus; nonnullis etiam e nobilitate corruptis, insidiae ita comparatae erant, ut D. Donati porta a consciis occupata, noctu in urbem acciperetur, imperiumque paterno jure obtineret. Verum indicio ad decemviros delato, unoque e consciis Joanne Medico, si impune sibi futurum esset, omnia patefacturum pollicente; cum publica fides data esset, res ex ordine cognita, periculumque Patrum vigilantia depulsum. Noxiorum sanguini parcere senatui visum. relegati tamen, bonisque in fiscum redactis, intra certos fines; intentata perduellionis poena, si eos egrederentur. liberi quoque paterno scelere, perpetuo exulare jussi. Cumulavit laetitiam, Eugenio ex humanis sublato, lectus in ejus locum Thomas Parentucellus Nicolai V. no-

mine: quem sive antiqua origine, sive diuturno urbis domicilio plures lucensem scripsere. Lunae is ortus, a puero Lucam, unde veterem ortum ducebat, concessit: ubi educatus bonisque artibus instructus, apud nobiles e Dallo, diversatus aliquandiu est. mox, fortuna eum ad majora vocante, cum Romam se contulisset, in Nicolai Albergati, magni tunc inter purpuratos nominis, familiam adscitus; ingenii dexteritate in rebus agendis, ita romanae aulae virtutem suam approbavit, ut fatis omnes honores illi properantibus, intra vertentem annum bononiensis antistes, cardinalis ac pontifex maximus renunciatus fuerit. Ad eum salutandum, novamque dignitatem ei gratulatum patres amplissimam legationem quatuor senatorum, tamquam civi misere. In eam conjecti principes civitatis Alexander Rapondus, Laurentius Bonvisius, Silvester Trenta, et Jofredus Cenamus. In illius quoque gratiam Philippo Calandrino, qui deinde inter purpuratos adlectus est, eadem matre genito civitas data: matrique Andreolae Calderinae domus e publico empta in vico Guinisiorum. non parum ornamenti urbi additura invidiosae felicitatis faemina, quae duobus matrimoniis juncta, alteri virorum cardinalem, alteri pontificem maximum peperisset. Erant etiam Nicolao

cum Lucensibus privatae necessitudines, paulo ante Catharina sorore Caesari e Nobilibus nuptui tradita. itaque magnae de eo spes erant lucensi populo propitium futurum: utque ejus fastigii proximis mos est, infulas purpurasque plerique ominabantur. Laetam novi pontificis renunciatione civitatem, tristis de Philippi mediolanensium reguli morte nuncius afflixit: qui augusto mense sive repente, sive alio morbi genere, ut quidam tradunt, extinctus est. Princeps alias ambitione ac superbia insolens, simulandi ac dissimulandi artifex, fomesque discordiarum, quae christianam rem laceravere: verum lucensi reipublicae, paterno in eam studio, libertate primum per duces suos reddita, mox non semel servata aeternum memorabilis. Decessit sine liberis, adoptato in familiam imperiumque Francisco Sfortia magni filio, quem Blanca furtivo conjugio suscepta in matrimonium tradita, generum antea adsciverat. ad quem, post ingentes difficultates Insubriae dominationem sequenti anno adeptum, patres beneficiis ab eo ac injuriis juxta affecti, quia sic apud praepotentem necesse erat, novum imperium ei gratulatum cum donis misere Janinum Fatinellum equitem, et Paulum Trenta: cum illum etiam in principatu obtinendo laborantem pecunia ju-

vissent, III. millibus aureorum ex aerarii angustiis dono datis. Eodem anno decretum, ut ex pecunia multatitia, fossa murisque continentes urbi vici clauderentur: forumque sternendum locaretur. Insequens annus (1) utriusque principis morte funestus reipublicae extitit; nam XIII. Kal. martii Balthassar Mannus, qui summum urbis sacerdotium obtinebat, repente extinctus est: mortuo intra paucos dies quam magistratum adierat, pridie Non. martii Michaele Burlamacco decemvirorum principe. Manno suffectus est Stephanus Trenta antiquae nobilitatis, qui tunc basilicae martinianae principem diaconorum agebat; juris humani divinique scientia, morumque sanctimonia clarus: magno senatus populique studio ad eam dignitatem a Nicolao pontifice evectus. Eo qui proxime excepit anno (2), occupatum florentino bello a ferrariensi regulo Minucianum, cum caeteris ejus praefecturae oppidis ad obsequium lucensis populi voluntaria deditione rediit: novaeque leges cum iis populis initae. Eodem anno cum auditum esset Jacobum Piccininum Nicolai fi-

(1) Ann. 1448.

(2) Ann. 1449.

lium, Castellione maritimae orae Senensium oppido, obsessum teneri; senatus parentis memoriae obstrictus Alexandrum Stregum et Paulum Podium cum auxiliaribus copiis, commeatuque ad eum misit; qua ope ei discrimini exemptus est. Sequens annus (1) celebris sacris saecularibus fuit: quartus ab eo quem Bonifacius VIII. longa annorum serie intermissum, anno MCCC. renovaverat. Illum per se augustum sanctumque, Bernardino senensi in divorum numerum relato, Nicolaus pontifex augustiorem effecit. quem divinum hominem providentiae dono missum ad sedandas Italiae discordias, residesque mortalium mentes, ea qua pollebat caelesti facundia, ad amorem aeternorum excitandas, Lucenses miro studio concionantem audierant: eoque suadente servatoris Jesu nomen graecis characteribus expressum in foribus aedium urbe tota praefixerant: quod ad aetatem nostram manet, nulla fere privata aut publica domo, caelesti illo titulo non consecrata. Idem cum Campomajore ageret, tabulam eo signo insculptam, quam manu inter concionandum praeferre solitus erat, oppidanis dono dedit: prae-

(1) Ann. 1450.

fatus incolumes eos a pestilentia futuros, donec sacrum illud pignus religiose custodissent: nec dicto fides abfuit, ad hanc diem aut intacto, caeteris circa correptis, pestilentis morbi contagione oppido; aut ea caelestis amuleti praesidio in ipso exortu statim extincta. Hoc anno Gallicanum feroniensis provinciae oppidum, defuncto Leonello Ferrariensium regulo, ad veteres dominos sponte rediit. municipibus in annos XXV. immunitates concessae, ne aut vectigalia solvere, aut alia onera subire cogerentur. datum etiam iis jus armorum per urbem deferendorum, aliaque feroci populo in reipublicae obsequio continendo sancita: qui ad hanc diem inter adversa et prospera pro lucensi populo invicta fide stetit. ea jactura (siquidem alieno carere jactura sit) motus Borsius estensis, qui Leonello successerat, primo comitem Montecucculum, ac deinde Albertum Pium, Manfredumque Corrigium cum expedita manu MCC. peditum, CCCC. equitum Castellionem ad ea loca recuperanda misit. Patres cum per Silvestrum Trenta reguli animum placare studuissent, ostendendo injuria eum offendi, si ad antiquos dominos sua possessio redisset; nec satis certi quicquam relatum ex eo esset

ut bellum timeri desineret, sequenti anno (1) comparando bello toti incubuere. prima pecuniae conficiendae cura extitit; cujus cum in publico angustae rationes essent, placuit eam a privatis mutuo accipi, oppigneratis vectigalibus iis qui rempublicam suo aere juvissent. Sed cum totius controversiae arbitrium pontifici maximo permissum esset, eo conciliante amice transactum; missusque Ferrariam tabulis conficiendis Joannes Vanni: cujus opera saepius ea tempestate ob egregiam viri virtutem, respublica usa est. Eodem anno celebri viro Petro Noceto pontifici maximo a secretis, gratiaque ac potentia apud ipsum praevalido civitas data: eidemque post mortem pontificis ad urbis domicilium alliciendo empta domus de publico, in quam deinde migravit; functusque honoribus in ea demum extinctus est. Nec diu posteri duravere. clarique nominis familia in Nicolao ejus filio a stirpe interiit: ejus familiae monumentum in basilica martiniana spectatur D. Reguli ara, eximia Matthaei Civitalis manu ad veterum artificum aemulationem, marmoreis signis caela-

(1) Ann. 1451.

turisque miraculo posteritatis exculpta. Eo quoque anno lata lex est, ne quis externorum, qui in reipublicae ministeriis esset, ubi muneris sui tempus exisset iterum reficeretur, nisi relatis ante rationibus: nec decemviris ordinario jure ad senatum de iis reficiendis referre, nec extra ordinem solvi legibus postulare; nec scribis decretum excipere fas esset: propositis poenis si qui contra auderent. Eamque legem inter eas referri placuit, in quas quo die magistratum decemviri adeunt, sacramento adiguntur. quod ad haec usque tempora servatur. Initio sequentis anni (1) Fridericus tertius, qui Sigismundo, ac post eum Alberto austriaco brevi principatu extincto imperium obtinuerat, in Italiam transgressus est; ut Sigismundi exemplo pontificis manu diadema reciperet. quo itinere cum Campummajorem per Lucensium fines divertisset, Lucam vitavit. Hoc anno nova tributi ratio cum agrestibus intra sex mille ab urbe passus inita. levandaeque civitati stipendio quod in externum militem pendebatur, imperatum ut a civibus in posterum custodiae stationesque per vices in muris agerentur:

(1) Ann. 1452.

aerariumque, bello quod inter Venetos Insubriaeque regulum exortum, Etruriae res turbatum videbatur, servaretur. religione etiam solvendis eorum animis, qui publicanos portoriis ac vectigalibus fraudassent, decretum ut qui quartam partem arcae ad eam rem in basilica martiniana statuendae inferrent, reliqua iis condonarentur. nondum exorta nova hac sapientia, qua tributorum per dolos fallaciasque fraudatio, nulla justi aequique religione impune permittitur. Insignis ad memoriam posteritatis, clade captae Constantinopolis a Maumete II. Turcarum imperatore insequens annus (1) extitit: divino numine, sera sed acerba vindicta, Graecorum perfidiam, fictaeque pacis foedera, quibus toties romanae religioni illuserant, ulciscente. Quod ad publicas Lucensium res attinet, cum Ceraseti incolae (Castellionensis id praefecturae tunc oppidum erat) jampridem defectionem tentassent, compressa in tempus ira, hoc tandem anno merita ultione in eos saevitum oppidum solo aequari, domicilium proditorum, visum. itaque una sacra aede excepta, passim dirutae domus: oppidanique Castellionem

(1) Ann. 1453.

traducti. Eodem anno Raphael Tegrimius in decemviratu supremum diem obiit. funus illi in aede Servorum e publico persolutum. qui mos cum ad nostra usque tempora mansisset, ducentesimo deinde anno, post Nicolaum Brancolum, cui novissimo is honos contigit, ex senatusconsulto sublatus est. Orientis calamitas, totius christiani orbis, sed praecipue Nicolai pontificis animum moerore afflixerat: itaque sequenti anno (1) morbo aegritudine mentis contracto, dum gestis maximis rebus majora molitur, publico luctu extinctus est. Lucensium praecipue, qui civem optimum, et quantum in ea fortuna licet, amicum amisere. Periit in medio gloriae cursu: sapientia, liberalitate, ac pietate insignis. bonarum artium splendore restituto, emendatis moribus, urbe templis, moenibus, aedificiis aucta: Friderico imperatore coronato, Bernardino senensi inter divos relato, pace ecclesiae reddita, pestifera secessione extincta, saeculari anno celebrato; ut non immerito dictus sit aurea saecula Romae dedisse. Hoc anno multa salubriter constituta. ut artifices omnes ex agro in urbem migrarent:

(1) Ann. 1454.

ut rusticani homines, quibus ultra tres liberos essent, frequentandae urbi, neve otio, ac inertia senescerent, singulos in civitatem mitterent alicui opificio addicendos. plebi quoque ad suscipiendos liberos invitandae sancitum, ne qui caelebs esset, intra certum tempus publico munere fungeretur. praemia etiam ad alliciendos externos artifices proposita iis qui in civitatem domicilii causa migrassent. animadversumque in feminarum luxum; qui superioribus annis coercitus, rursum frena legum exuerat: de quibus omnibus XII. viris negocium ex S. C. datum. et ut ne a minimis quidem rebus solers cura patrum abesset, quaedam de Corsenae thermis, medicatarum aquarum salubritati servandae constituta.

Ictum fuerat aprili mense in annos XX. inter mediolanensem regulum, Venetos, Florentinosque foedus; in quo cum a singulis Lucenses socii atque amici adscripti essent; ubi id ex eorum literis cognitum, gratiae a senatu actae, foedusque ex S. C. ratum esse jussum. Neque ideo Florentini, cum Lucenses socios amicosque scriberent, eorum libertati insidiari desierant: quippe hoc anno detecta conjuratio, quibus animis in foederatos essent aperuit. Intra fines pagi cui Puteolo nomen est, mons elato fastigio assurgit, lucensemque agrum a pisano disterminat.

in ejus dorso, qua Lucam aspicit, casam fixerat eorum hominum quidam, qui rudi amictu ac promissa barba, religionis causa soli in silvis desertisque locis degunt: hic, ut a quo nihil suspicari Lucenses possent: aptus ad fallendum visus. illo igitur sequestre, Florentini de occupanda clam porta egerant, per quam noctu copiae e pisano agro in urbem immitterentur, defensaque tanta gloria, totque periculis laboribusque diuturno saevoque bello libertas dolo perierat; nisi beneficio numinis deprehensae, extractaeque in publicum insidiae, cautiores in posterum Lucenses reddidissent. Nam ex eo tempore praesidium auctum, vigiliaeque ac stationes interiore cura servatae, spem hostibus ademere occupandi urbem, vi aut fraudibus, cui servandae tanto consensu Superi hominesque advigilarent. Inter curas, quae tot periculis defuncta civitate, ad eam restituendam ornandamque, patrum animis insederant, non postrema fuit eam bonis artibus literisque excolendi. Itaque sequenti anno (1) actum in senatu de accademia publice instituenda; cum caesarum pontificumque beneficio id olim civitati licuisset, ne civium liberi studiorum causa

(1) Ann. 1455.

peregrinari cogerentur ; sed potius exteri ad urbem frequentandam invitarentur . Sed eorum temporum calamitas arma magis quam literas poscebat . Successerat Nicolao V. Callistus III., qui Greciae paulo ante a barbaris oppressae in libertatem vindicandae , toto christiano orbe , missis legatis atque oratoribus clari nominis, qui populos ad capienda arma hortarentur , exercitus classesque terra marique comparabat: itaque hoc anno cum Joannes neapolitanus ordinis Praedicatorum ea causa Lucam venisset , qua pollebat dicendi vi , ingentes motus in animis multitudinis concivit. Eo suadente per triduum urbe tota supplicatum; pueris virginibusque in veste alba , purpurea cruce ad pectus distincta , ejusdem coloris ligneam alteram manu praeferentibus: magno virorum feminarumque numero nudis pedibus incedente : praesertim ultimo die , quo Christi imago , quae in Alborum aede colitur , publice per urbem delata , praesenti numine omnium mentes afflavit . quo etiam die prodigia affuere, quibus ea Superis cordi esse monstratum : quippe e caelo servantibus circa meridiem crux pene urbi imminens, colore candido in aurea luce sublimis visa , ab austro in septentriones porrecta , spectantium animos oculosque miraculo implevit. Laborabant eo tempore bello Senenses, bellum-

que inopiam famemque adduxerat. quare iis juvandis cum Joannes Guidiccionius commeatus comparandos recepisset, privataeque opes non sufficerent, pecunia publica adjutus est, ut amicis maturius subveniretur. Nec Jacobo Piccinino eos prementi ob patris merita senatus defuit; quippe mutuato V. aureorum millia postulanti, mille dono data: satiusque visum mille per liberalitatem beneficiumque impendere, quam V. millia mutui nomine amittere. Per hiemem insequentis anni (1) magnae ventorum tempestates fuere: stragesque arborum silvarumque passim ea procella, ac ruinae tectorum factae. ingenti quoque motu terrae sub veris tempus concussae: et cometes junio mense minaci crine in septentriones versus apparuit: nec multo post consequuta pestilentia fidem monstris conciliavit. alius quoque metus patrum animos anxios habebat, ne scilicet quies publica intestino aliquo motu quateretur; quippe libelli sine auctore propositi fuerant, in quibus multa seditiose contra rempublicam jactabantur: nec quicquam super ea re compertum, quamquam magnis praemiis propositis ei qui indicium detulisset. Itaque solerti custodia senatui advi-

(1) Ann. 1456.

gilandum erat, ne quid occulti hostes adversus salutem reipublicae molirentur. nec minor tuendae ab externa vi urbis cura; quare senatusconsultum factum, ut coepti jam claudendis suburbanis aedificiis muri, primo quoque tempore absolverentur: annonae quoque curatio inter primas non omissa. itaque frumentum omne de privatis publice coemptum; aliarumque frugum species intra horrea publica, munimentum adversus famem congestae. Hoc anno Joannes Petrus Aventinus lucensis, qui graecis latinisque literis egregie doctus, Venetiis magno plausu artem oratoriam profitebatur, in civitatem evocatus est, ut eamdem publice praelegeret. sed hoc bono frui diu minime licuit, illo intra proximum annum extincto (1), funus ei insigni pompa celebratum, cui decemviri interfuere. laudatus est a Joanne Vecchiano: capitique defuncti laurea corona inter honorem exequiarum imposita. decessit nullo ingenii monumento posteris relicto; ejusque virtus intra conscientiam illius aetatis stetit. in ejus locum suffectus est Joannes Bartholomaei brixiensis. Eodem anno cum Frigdianus Balduchus e Feroniae fano ita rem occulte molitus esset, ut noctu clam

---

(1) Ann. 1457.

admotis scalis Campummajorem occuparet, ac Ladislao Guinisio traderet; conjuratione per servum Ladislai detecta, periculum omne discussum: indici L. aurei dono dati, stipendiumque VII. aureorum, quos in singulos menses perpetuo capere, ex aerario decretum. Fine anni impetrandae caelestium paci, quos mortalium culpis iratos pestilentia arguebat, per triduum supplicationes habitae: delatis per urbem Divorum corporibus, Christique Crucifixi imagine, antiqua religione venerabili. interfuere una cum sacerdotum collegiis decemviri ac senatores; et pueri virginesque olea coronati, in alba veste supplicavere. Eo qui proxime sequutus est anno(1) quietis externis hostibus, domi prope turbatum. magnae inter Petrum Guidiccionum, et Bartholomaeum Arnulphinum exortae lites erant: timebaturque ne earum familiarum potentia civitas in partes scinderetur. lateque ejus dissidii fama pervagata, duo ex aulae romanae purpuratis Calandrinus, et Zanorensis literas ad senatum dederant, monuerantque ne per eas discordias quies publica turbaretur. Itaque cavendo tumultu jussus uterque Romae esse donec transigeretur; ei qui non paruisset exilio ac multa

(1) Ann. 1458.

duum millium aureorum indicta. Longe major clades christiano orbi a barbaris imminebat, qui novissima victoria elati, Europae universae, ac Italiae praecipue minabantur. Itaque Callistus pontifex, expeditioni in eos comparandae maxime laboraverat. sed illo in egregiis conatibus hoc anno extincto, is qui sublectus est Pius II. eo principatus sui primas curas intendit: nulli aut sumptui aut labori parcens, senile etiam corpus, ac dolore pedum invalidum, per longa itinera trahendo; donec ipse quoque in medio magnarum cogitationum, maximo publicae rei detrimento extingueretur. Amicus per se Lucensibus Pius erat, ea civitate ortus, quae huic urbi Etruriae totius familiarissima semper extitit; amicioremque reddebat in dies Jacobus Ammanatus illi unice dilectus. natus erat Capornani, qui pagus est lucensis agri prope Villam Basilicam, tenui loco Ammanatus; sed vivido ingenio erectoque, et qui fortunam sibi facturus videretur: a puero egregiis artibus excultus, praecipuam eloquentiae laudem adeptus est: non fucatae illius ac enervis, sed sanctae ac virilis; dignaeque cujus ore pontifices maximi loquerentur. Cum Aulae romanae innotuisset, Callisto III., inde Pio II. ab epistolis fuit, a quo inter familiares adscitus, primum ticinensi sacerdotio, dein purpura auctus, et in gentem

Piccolomineam adscitus; summo fastigio et virtute sua, et aliena aestimatione dignissimus, si tempora meruissent. Is igitur cum sequenti anno (1) ad senatum scripsisset, Pium de cogendo Lucam conventu antistitum, quem Mantuae deinde habuit, animo agitare; patres IX. viris negocium dedere, qui necessaria tanto principi excipiendo pro reipublicae dignitate curarent; optimoque civi magis in patriae caritate confirmando, domum illi ad D. Simonis pecunia publica coemere. novo autem pontifici gratulatum missi Stephanus Trenta civitatis antistes, et eques Gregorius Arrighius, Pio dum adhuc privatum ageret in minori fortuna inter charos. quibus benigne auditis, dimissoque Arrighio, antistitem apud se retinuit: ejus ministerio turbidis illis christianae reipublicae temporibus usurus. virum in rebus agendis eximia quadam arte praeditum, quem primo ad mediolanensem regulum, deinde in Germaniam ad caesarem legavit. Ab eodem pontifice literae eodem anno ad senatum venere, quibus rogabat, ut aliorum principum exemplo, Mantuam oratores mitterentur, qui ei consilio interessent: quibus in senatu recitatis, an legati missi fuerint, incertum

---

Ann. 1459.

est. Insequens annus (1) a recepta libertate trigesimus; cupiditatem paterni imperii recuperandi, tam longo intervallo, in Ladislao Guinisio non extinserat. tentatum id per Michaelem Guerruccium, qui Kal. septembris decemviratum inierat, Antonio Bertino Dominici fratre, ac Stephano Dinellino in conscientiam assumptis; sed altiore consilio quam in speciem ea res profecta credebatur. Erat apud Franciscum Sfortiam Insubriae regulum inter aulae ministeria Paulus Guerruccius decemviri frater: ferebaturque regulum, seu Ladislao; quo plurimum in bello usus erat, referendi gratiam studio, seu alia occultior causa suberat, eo interprete Michalem ad proditionis consilia impulisse: quam suspicionem ea quae consequuta sunt, etiam auxere. Sed detecta conjuratione, cum Bertinus fuga evasisset, Guerruccius et Dinellinus comprehensi, perfidiae suae poenas dedere. Ubi Mediolanum per citatos cursores, captum Guerruccium, addictumque morti nunciatum, regulus omni ope adnisus est ut eum supplicio eximeret. Patresque in speciem, supplici libello, qui rei nomine ad senatum porrectus est rescripsere: mortis poenam remitti si intra certum

(1) Ann. 1460.

tempus X. aureorum millia duabus pensionibus solvisset. quod cum praestitum non esset, januario sequentis anni una cum Dinellino securi percussus, bonaque in fiscum redacta. Pupugit ea res reguli animum, minacesque literas ad senatum dedit, quibus preces suas contemptui haberi conquestus; bona saltem, quando vitam non impetrasset, in Pauli fratris gratiam postulavit: pluraque per superbiam adjecit, nisi voti compos factus esset. Sed obstinati ad preces minasque juxta patrum animi: parum interesse rati, utrum proditione cives, an exteri principes arrogantia libertatem ademissent. quare cum ea de re, colloquutis antea çivibus, ad senatum referretur, nihil pervinci potuit; placando tamen regulo, quem iratum reipublicae esse minime expediret, Paulus Trenta, et Martinus Cenamus ad eum oratores missi qui verbis donisque animum lenirent: admonerentque » ut beneficium suum tueretur; libertatemque » quam armis asseruerat, ambitu ne corrumpe- » ret; si proditoribus veniae spes daretur, » nunquam defuturos qui paria auderent; li- » bertatem insidiis obnoxiam rem esse, et in » eam etiam sine exemplis peccari; interfecto- » rum principum ultionem apud posteros esse: » occisam rempublicam a nemine vindicari; » itaque id scelus omni severitate puniendum,

quod si processerit, non inveniat ultorem ». Verbis adjectum III. millium aureorum munus: nec regulus ultra tetendit. Eo anno decembri mense Laurentius Bonvisius VIII. princeps decemvirorum in magistratu mortuus est, publicoque funere elatus. Insequens annus(1) laetus civitati fuit, Ammannato in collegium purpuratorum adlecto: cui senatus amplissimam dignitatem per nobiles cives Christophorum Bernardi et Franciscum Michaelium gratulatus; officium liberalitate cumulavit, splendido, ut ea ferebant tempora, argenti facti dono XV. pondo ad eum misso, quod ad CCC. pondo aetate nostra excrevit, III. aureorum millibus in eam liberalitatem erogari solitis. Eo anno cum Petrus Medices Cosmi filius cum uxore ad aquas lucenses valetudinis causa venisset, ultra privati civis fortunam exceptus cultusque est: ab eoque vicissim officiis certatum, aditis decemviris, gratiisque coram actis. Contigit quoque per id tempus, quod romanarum rerum scriptores prodigii loco annalibus inserendum putavere: ut lupi e montibus silvisque in culta prope urbem loca descenderent, multosque puerorum laniarent. Obiit eo-

(1) Ann. 1461.

dem anno insignis vir Christophorus Turrettinus senatui a secretis, honosque funeris illi e publico habitus. Sequenti anno (1) nihil memorabile gestum. Eo qui proxime insequutus est (2), cum per Italiam annonae caritate laborari patres intellexissent; vetitum ne fruges exportare liceret: neve in urbem peregrini, qui ea causa crebras migrationes faciebant, admitterentur. Actum quoque in senatu de siccandis ad mare agris, qui late paludibus limoque tenebantur: datumque negocium, ut fossa cymbarum capax colligendis aquis duceretur. nec non coercendi intra alveum fluminis consilium ceptum; cum crebris inundationibus adjecti agri inarari serique prohiberentur.

Interea Pius pontifex, totus in comparanda in Turcas expeditione, ex universo christiano orbe auxilia colligebat. Ejus literis moti Lucenses, insequenti anno (3) conducta a Venetis triremi, pubblico sumptu armis virisque instruendam suscepere; creato illius praefecto Christophoro Turco, cum Aldobrandus Guidiccionus excusatione usus eum honorem recusasset. qui Venetiis una cum Ve-

(1) Ann. 1462.
(2) Ann. 1463.
(3) Ann. 1464.

netorum classe Anconam profectus, quo se pontifex Roma contulerat, ut rem praesens urgeret; inde Lucam rediit, Pij morte, quae christianae reipublicae perincommoda accidit, eo classium militumque apparatu disjecto: nullo alio fructu, quam egregia de summo sacerdotio, totaque christiana re benemerendi voluntate, a Lucensibus capto. Eo anno terraemotus, ineunte vere, in lucensi agro auditus: cujus vi in arce castellionensi puteus repente exaruit: quod ut admirationi ignaris, ita naturae arcanorum callidis nullo miraculo contigit. Editum eodem anno saevum exemplum in privata domo, civitatem omnem horrore attonitam habuit. Puella quaedam ex agro in ministerio Jacobi Turrettini erat. Haec, incertum ob quam causam, dominis irata, noctu duobus locis ignem tecto subjecit; eo consilio ut universam familiam somno oppressam incendio ac ruinis extingueret: nec crudele votum eam fefellit. nam sparsa repente flamma, tanta vi aedes corripuit, ut cum succurri minime potuisset, ipse cum liberis misere conflagrarit. Paulo post ingressus est urbem Nicolaus Forteguerra magni nominis purpuratus, Pistorio ortus, pacis artibus non minus quam belli ea aetate celebris; qui e pannonica legatione Romam revertebatur. Prae-

sto ei fuere ad portam cum collegiis sacerdotum ac universa nobilitate, duo ex decemviris Henricus Sandaeus et Joannes Trenta; qui insigni pompa eum ad basilicam martinianam, aedesque antistitum deduxere. Sequenti die cum ad eum princeps decemvirorum Martinus Cenamus cum Hieronymo Guinisio uno ex collegis venisset, cardinalis in area basilicae obviam factus cum eis per urbem forumque incessit: post meridiem urbe egressus, Stephano antistite ac duobus decemviris qui pridie illum exceperant, Montolium usque ac pisani agri fines, eum in equis, ac magna praeterea multitudine prosequente. lautia illi comitibusque magnifice e publico praebita. Nec multo inde orator reguli mediolanensis Romam ad pontificem missus, ex itinere Lucam venit:, salutatisque decemviris, donis de more auctus, iter suum prosequutus est. cumque paulo post regulus ipse, literis ad senatum datis per certum nuncium, genuensi arce ac plerisque maritimae orae oppidis se potitum significasset; brevique fore ut etiam urbis imperium obtineret, id quod evenit; patres amici principis victoriae, publica laetitia, festisque ignibus plausere. Eodem anno Ludovicus Gonzaga Mantuae regulus, cum valetudinis causa ad aquas

lucenses venisset, Lucam adventu suo erexit. Exceptus est regio cultu impensa publica in aedibus Andreae a Porticu qui, tunc decemvirorum principatum gerebat; convivio etiam a decemviris adhibitus, cum eos sub adventum discessumque, magna benevolentiae significatione salutasset, abeuntem cum comitatu nobilium usque ad fluminis ripam duo ex decemviris Joannes Podius et Galeottus Franciottus prosequuti, hilarem eum principem ac reipublicae amicum dimisere. Annum alias laetum, tristis de Pii morte nuncius moerore confudit. quem ut supra memoravimus, Anconae degentem, fatalis necessitas in magnis conatibus intercepit: sanctum senem, literarum gloria, ac rerum gestarum magnitudine posteris memorabilem. Brevi illi suffectus Pauli II. nomine Petrus Barbus, quem Eugenii IV. sorore genitum, paucis ante annis Lucenses civitate donaverant. quae res conceptum ex Pii morte dolorem leniit; reputantibus civem in eo fastigio locatum, propitiumque urbi futurum. Ivere ad eum publico nomine salutandum Stephanus Trenta urbis antistes, ac Caesar e Nobilibus, sapientiae fama, et Nicolai V. affinitate clarus; qui a pontifice magna amoris honorisque significatione excepti, cum Lucam redissent: primus paulo post

Herbano(1), quod urbem veterem appellant, regendo revocatus; ac inde in Britanniam, discordiis inter Odoardum regem ducemque Burgundiae componendis missus: alter Piceni praefectura auctus; conceptam de Paulo spem haud fallacem fuisse probavere. Nicolaum quoque Sandonninum e lucensi nobilitate, Paulus sibi a secretis legit: eumque post mutinensi sacerdotio insignivit, ut civitate illum donasse Lucenses non poenituerit. Dum legati ad pontificem proficiscuntur, supervenit ab eo lictor, qui publicae renunciationis ipsius decemviros certiores faceret. nuncio XX. aurei dono dati, gratiisque Deo agendis supplicatio habita. Obiit quoque eo anno Florentiae Cosmus Medices, privati civis modum egressus, ac libertati gravis: cui non minus periculum a magnis viris quam a malis. Lucensibus parum aequus, quos de republica sua non male, de se etiam optime meritos, bello lacessendos vexandosque, cupidine augendi imperii putavit. praecipuoque dolore extinctum ferunt, quod Lucam in florentini populi potestatem non redegisset: iratum Francisco Sfortiae, qui arma opesque

(1) Orvieto

ad eam rem pollicitus, fidem non servaverat; pius alias magnificusque, paterque patriae appellatus, cujus pene dominus extiterat. Insequens annus (1) novum magistratum reipublicae attulit, creatique primum tres praefecti qui valetudinem publicam curarent: cum eo tempore pluribus elephantiaco morbo infectis, periculum esset ne ea contagio vulgaretur. Initae quoque cum Minuciani incolis novae leges; missusque Neapolim pro Senensibus ad Jacobum Piccininum Antonius Bonvisius, cum rebus suis ab eo Ferdinandoque rege metuerent. sed cum Bonvisius in Campaniam pervenit, jam Piccininus jussu regis captus interfectusque erat: seu reguli mediolanensis instinctu, sive ut vulgo creditum, quod regis filiam incestis amoribus polluisset. Per hunc modum extincta Nicolai Piccinini sobole, quam ipse militari laude, ex humili ad regum magnorumque principum amicitias affinitatesque perduxerat. Nec tamen otiosa ea legatio fuit, precesque Lucensium apud amicum regem pro sociis valuere. certe Senenses iis praecipue armorum procellam reipublicae suae imminentem, alio versam ac-

(1) Ann. 1465.

ceptam retulere. Per initia sequentis anni (1) Franciscus Sfortia Insubrum regulus repentina morte obiit, ducum illius memoriae clarissimus, et a magno parente non degener. Lucensibus aliquando amicus, saepius hostis; eo praesertim tempore, quo vagae adhuc incertaeque fortunae miles, amores irasque cum utilitate transferebat. libertatis recuperandae certe civibus primus auctor: nec tamen apud Lucenses parem Piccinino gratiam adeptus: quod hic reipublicae caritate, ille tyranni odio libertati favisset. Statim ab ejus excessu cum Blanca uxor virilis animi foemina, ad cunctos Italiae principes literas dedisset, pro Galeatio ex liberis defuncti reguli natu maximo; patres quoque admonuit, ut quam parenti praestitissent fidem amicitiamque filio servarent. Erat tunc temporis in Gallia apud Ludovicum regem Galeatius, qui ad nuncium de patris morte in Italiam summa celeritate profectus, paternae fortunae fastigium accepit. missus qui eum de parentis obitu consolaretur, novumque principatum illi gratularetur Paulus Turrettinus, divini humanique juris scientia clarus. Eo anno cum Stephanus Serfederigus

(1) Ann. 1466.

qui apud Allobroges morabatur, ab eo regulo obtinuisset, ut mercatorum Lucensium res ejus nomine retinerentur; senatus certis civibus negocium dedit, qui liberum commeatum quamprimum restitui curarent: eaque de causa lectus Bartholomaeus Arnulphinus, qui Bondicomagum (1) Liguriae mediterraneae oppidum, ad eam rem transigendam iret. Sed aliis atque aliis difficultatibus exortis, cum contumax avaritia senatus mandata parvipenderet; Serfederigus, et Franciscus Cagnolius ejus rei auctores hostes judicati, praemiumque D. aureorum decretum ei qui illos interfecisset. Sequenti anno(2) foedus inter Galeatium Insubriae regulum, Ferdinandum regem, ac Florentinos ictum. cumque locus Lucensibus datus esset, si ei adscribi vellent; Joannes Vannius et Paulus Trenta feciales lecti, qui Florentiae, in quam urbem oratores eorum principum convenerant, ratum illud haberent. In eo foedere nominatim cautum est, ut Florentini lucensi populo restituerent, quae Pauli Guinisii tempore occupassent. quam rem, cum Florentini ac foederatorum principum oratores

(1) Casale.
(2) Ann. 1467.

senatui gratulati essent; placuit populum laeto nuncio statim implere. quod cum in eam diem incidisset, quae receptae libertatis memoria solemnis habetur, gaudium duplicavit. Eo anno supremum diem obiit illustris vir Petrus Nocetus; pontificum regumque eum sibi flagitantium ambitu insignis. Elatus est ingenti pompa, datumque ei vexillum purpureo alboque distinctum, qui claris viris a senatu tunc honos habebatur. sepultus est posterorum cura in sepulchro egregii operis in basilica martiniana, quod artis praestantia visendum putatur. Fine anni viri principes urbem intravere Alphonsus Calabriae regulus Ferdinandi regis filius, Robertus Sanseverinus, et Urbinatium regulus; quibus duo ex decemviris obviam processere. magnifice excepti publico sumptu in privatorum aedibus, biduum Lucae magna comitate culti colentesque egere. ostentandaeque hospitibus suis benignitati, regius juvenis equestri dignitate Nicolaum Nocetum Petri filium auxit: suaque manu lateri ensem, capiti galeam imposuit. aurea calcaria, alterum urbinas princeps, alterum Sanseverinus aptavere. Nihil memoria satis dignum eo qui sequutus est anno (1)

(1) Ann. 1468

contigit. civitas Nicolao Pinitesio Miniatensi data, a quo nobilis Pinitesiorum familia Lucae ortum habuit: quae honoribus maximis perfuncta, nostra memoria interiit. At vero Stephanus Trenta civitatis antistes e legatione britannica reversus, magno ambitu obviorum deducentiumque urbem intravit; pauloque post Romam ad pontificem maximum est profectus. Eodem tempore Lucam venit Franciscus Bertinus, quem Nicolaum nostrorum quidam per errorem scripsere, Monelli filius, tunc adriensis, inde caputaquensis antistes; qui a Ferdinando rege cui carus erat, Mediolanum, deinde in Allobroges, postremo ad Burgundiae regulum orator missus, patriam in itinere salutavit. Arcem quoque cui Bargilio nomen, in Apennini jugis a Mathilde olim extructam, temporisque injuria collapsam, eodem anno restitutam, praesidiumque illi impositum in actis reperio. Insequenti anno (1) cum Nicolaus Ghivizanus, qui in aede D. Virginis, cui Forisportam nomen est, maximum sacerdotium obtinebat; ad ejus loci cultum religionemque augendam, instituto nuper sacerdotum collegio, quos scopetinos appellabant,

(1) Ann. 1468.

id templum tradere animo agitaret: senatus pii viri conatibus omni ope favendum censuit. Et quoniam quies ab armis musarum studiis locum dabat, patres bonis artibus fovendis, Joanni Octobio britanno carmelitae, musicae artis gloria florenti annua constituere: donec septimo post anno a rege in Britanniam revocatus, brevi extinctus est. eo magistro in templis sacrorum carminum modulatior concentus: civibusque post publicas privatasque curas ex honestissima arte voluptas. Eodem anno mortuus est Caesar e Nobilibus, sua virtute gestisque honoribus, et Nicolai V. affinitate clarus. vexillum in honorem funeris illi quoque, ut ante Noceto, a senatu concessum. Anno sequenti (1) patres viam per paludes ad mare muniendam, suasu Joannis Guidiccionii locavere: cum Florentinis Mutronem obtinentibus, antiquum iter incommodum intutumque haberetur. ipsaque est, qua nunc per Canabii fauces Quosaeque (2) montem, palustri itinere Montravantum(3), ac inde Viaregium ad mare itur. et ne pestilenti ventorum flatu, qui ex etrusci maris ora spi-

(1) Ann. 1470.

(2) Chiesa, o Quiesa.

(3) Montramito.

rant, caeli salubritati periculum crearetur, vetitum S. C. caedi arbores intra novam veteremque fossas: quod nostra memoria neglectum, constat per plures annos gravius caelum, etiam civitati incubuisse: vitalis spiritus haustu, palustri caligine, ventorumque noxiorum aura corrupto. Eadem publicae valetudinis cura „ salaria e fisco quinque medicae artis professoribus, qui tunc corporum curandorum laude celebres habebantur, constituta: vetitumque ordinarios, sive extra ordinem senatores fieri, ne a studio curationis avocarentur. Laetus civitati fuit is qui successit annus (1) adventu Galeatij Mediolanensium reguli, qui cum uxore Bona Allobrogum reguli filia, magno comitum impedimentorumque apparatu in Etruriam descendens, biduum Lucae substitit. Incesserat tuscarum urbium animos, seu sponte, seu certis indiciis orta suspicio; eam expeditionem, voluptatis quidem obtentu, ex aspectu antiquitatis elegantiaeque illius provinciae, belli pacisque artibus, ac studio praecipue retinendae libertatis celebratae, praetexi; caeterum altiores causas subesse; idque occulte agi, ut per speciem

(1) Ann. 1471.

visendi, ejus imperium tentaretur. Lucensibus praecipue is scrupulus injectus erat Colae Montani indicio, ut ipsemet fassus est, cum biennio post Lucam ad foedus conciliandum cum Sixto pontifice ac Ferdinando rege adversus Florentinos venisset (1). quare specie honoris, tamquam magnum aliquem caesarum regumque excepturi, patres imminentem portae turrim antiqui operis, in ingentem altitudinem eductam diruendam decrevere: ne ab ejus militibus, quos praeter C. cataphractorum turmam ad D. secum ducebat, occuparetur; urbi fraenum jugumque: et si excutere tentasset, belli causam. venienti extra portam a duobus decemviris obviam processum, Antonio Corelliensi et Christophoro Turco, cum plerisque senatorum: universa praeterea multitudine in obsequium, aut spectandi studio, ut fit, per moenia, ac itinera urbis effusa. Ubi in mutuum conspectum ventum, decemviri regulusque ex equis desiluere: cumque princeps femina idem facere e curru tentasset, prohibita a nostris per officium est. ibi mutua salutatione perfuncti, rursus conscensis equis per forum arcumque, ac inde

(1) Michael Brutus lib. 5. histor.

porticum mercatorum vicumque Guinisiae gentis, ad aedes suburbanas a Paulo Guinisio magno sumptu olim extructas perrexere: quae tunc regia magnificentia cultuque ornatae erant. Nota Lucensium in magnis hospitibus excipiendis elegantia ac splendore, in aedium vestibulo temporarius fons visebatur, qui ad populi hilaritatem ex epistomiis large vinum fundebat: dona utrique magnifica e publico missa. Regulo equus varius aureo sericoque panno instratus, fraenoque ac bullis aureis insignis: ac praeterea X. aureorum millia: uxori duo asturcones albi, pannique ex serico atque auro intexti. tantaque utriusque comitas, ac benevolentiae significatio fuit, ut omnem suspicionem ex animis civium plane deleverit. Sub discessum, legatos qui ei deducendo a senatu lecti fuerant, Paulum Podium, Petrum Guidiccionum, et Jacobum Ghivizanum equestri dignitate auxit, aureaque veste donavit, felicior multo, si eas virtutes libidine, avaritia, crudelitate, aliisque tyrannorum vitiis, quae illi tandem exitium attulere, minime corrupisset. In ejus gratiam civitas Francisco Simonettae, quem Ciccum appellitabant, data: ut honores capere posset, tamquam qui ortu ac origine cives essent. et is erat Simonetta, ut eum beneficiis devin-

ctum habere pars sapientiae putaretur. quippe regulo a secretis, et apud eum praepotens: donec premente invidia a successoribus securi percussus, secundae atque adversae fortunae posteris exemplum fuit. Galeatio advenienti claves civitatis a decemviris oblatas, scriptor rerum insubricarum (1) in honorem principis sui memoriae prodidit: paria de Florentinis commentus. caeterum nulla ejus rei apud nostros (Civitali excepto quem Corius errare secum coegit) mentio: cum quidam, ut ipse oculis hauserat, etiam minuta quaeque in diariis diligentissime adnotaverit (2). Galeatio Mediolanum reverso, paulo post Lucam intravit Laurentius Medices Petri filius Cosmi nepos, florentinae reipublicae arbiter; qui in Insubriam ad regulum, a se Florentiae hospitio acceptum, donisque cumulatum, proficiscebatur: omnique cultu atque honore, ut avus quondam paterque exceptus. magnifice quoque Roma redeuntem Ascanium Sfortiam reguli germanum patres accepere: quemadmodum etiam e numero purpuratorum Senensem e pannonica legatione revertentem: ac denique Ni-

(1) Corius.

(2) Robertus a Portico in diario ms.

colaum Sandonninum, qui, Paulo pontifice julio mense repentina morte sublato, Mutinam sacerdotii sui urbem petebat.

Vacuam Pauli morte, in quo respublica parentem civemque optimum amisit, romanam sedem augusto mense Sixtus IV. suffragio purpuratorum obtinuit; quem apud Vada Sabatia in Liguribus tenui loco ortum, minorumque ordinem professum, virtus, ac literarum gloria, primo ad suorum supremam praefecturam, inde ad purpuram, summumque sacerdotium provexit. Ad eum salutandum patres Petrum Guidiccionum, et Galeottum Franciottum misere: cujus filio Joanni Francisco, homini diviti, ac pontificii aerarii quaestori, dein Sixtus fratris filiam Luchinam nuptui tradidit; ex quo matrimonio Galeottus ille ortus est, quem deinde Julius II. avunculus eximiae spei juvenem romana purpura ornavit. Missi quoque Mediolanum oratores Paulus Podius, ac Paulus Trenta: qui cum regulo insignem gemmam II. millium aureorum senatus nomine attulissent, is honore contentus donum remisit. Eodem anno, quo ingenia juvenum ad literarum studia excitarentur, negocium a senatu III. viris datum clari nominis professores in urbem invitandi; curandique ea quae publicae academiae instituendae opportuna vi-

derentur. Eo anno imbres magni, crebraeque fluminum inundationes novembri mense extitere; quibus jumenta hominesque subito aquarum diluvio correpti periere. Per initia insequentis anni (1) ipsis kal. januarii cometes ingens visus crine in longum ad orientem porrecto, omnia mirantium talia sermonibus implevit. sequutisque paulo post Volaterrarum defectione, inde pontificis Florentinorumque discordiis, quaeque aliae Italiam clades afflixere, fidem ei portento minime abfuisse compertum. Eo anno plures ad diversos principes legationes missae. Mediolanum Joannes Trenta, qui reversus, Joannem Marcum e Mediceorum luceusium stirpe, Ticini praefectum a regulo creatum retulit. eodem missi non multo post Joannes Guidiccionus, et Martinus Cenamus, quibus comes datus Jacobus Podius scriba senatus: Balthassar quoque Guidiccionus Florentiam destinatus: Paulusque Podius, et Jacobus Ghivizanus ambo equestris ordinis Mutinam ad Herculem Ferrariensium regulum, qui Borsio patruo successerat: atque inde Venetias, ut novo duci Nicolao Marcello eam dignitatem gra-

---

(1) Ann. 1172.

tularentur, ivere: a quo honorifice excepti, donisque aucti. Eo anno cum in propinquo volaterranum bellum esset, militesque ex Insubria in auxilium Florentinorum, per lucensem agrum iter facerent; custodiae urbis plus solito advigilatum: scriptaque nova cohors C. millium ex urbe agroque, quae ad portas extra ordinem stationes ageret. cumque Sixtus pontifex significasset, cupere se pacatis Italiae principibus, arma in Turcas convertere; ac proinde oratores ad foedus ineundum cum potestate mitti rogaret; patres optimi principis voluntati obsequendum rati, cardinali Calandrino civi suo eam potestatem dedere: dum nequid de novissimo foedere cum Florentinis, reguloque Insubrum nuper icto moveretur. Eo anno Assisii supremum diem obiit nobilitate et sanctimoniae fama celebris Joannes Bonvisius, divorum honoribus tituloque insignis: sepultusque est in basilica D. Mariae angelorum. cujus corpus cum nostra memoria Hieronymus cardinalis ex eadem gente Lucam deferendum ab Alexandro VII. impetrasset; dilata re, civitas magni depositi honore caruit. Obiere quoque insignes viri Petrus Guidiccionus, et Joannes Arnulphinus; prior Lucae, alter in Gallia Belgica. Guidiccionus senatoria prudentia clarus, nuper a regulo me-

diolanensi eques creatus, decemvirorum principatu, legationibus, maximis reipublicae negociis perfunctus. Arnulphinus apud exteras gentes eam de se opinionem conciverat, ut regi Francorum primum a cubiculo, mox inter consiliarios adlectus, ac provinciae Nortmanniae in Gallia Celtica ad britannici maris oram praepositus; post a Burgundiae regulo inter cubicularios adscitus, illi pariter a consiliis fuerit. nec minor opibus decessit, vicies quater HS. (1) testamento relictis. utrique funus insigni pompa celebratum: Guidicciono ad D. Francisci, cui omnia sacerdotum collegia, unusque ex decemviris sororis maritus, ac universa familia atrata, de more illorum temporum interfuit. Arnulphino honorarium funus ad D. Romani ductum: quod facum multitudine, vexillisque regis Francorum, ac Burgundiae reguli ultra privatum fastigium spectaculo fuit. Eo qui successit anno (2) domesticis insidiis laboratum. Curio, qui Nuptiani sacris praeerat, oppidum situ atque operibus munitissimum, lucensis agri Pisanorum excursionibus prohibendis ab ea parte claustrum; conjecto in vincula Parpallio-

(1) 60000 aurei.
(2) Ann. 1473.

no praefecto, Florentinis occulte tradere moliebatur. Sed cum per Jacobum Pannocchium, quem Curio e• de re interpellaverat, ad magistratus indicium delatum esset, proditore capto, proditio discussa est: laudata indicis fide, apud quem plus patriae amor, quam ira ob affectum nuper supplicio filium valuisset. Praefectus ob incuriam ab eo munere amotus. Per idem tempus cum ferrariensis regulus patres de nuptiis cum Eleonora Ferdinandi regis filia initis certiores fecisset; Christophorus Trenta et Petrus Fatinellus missi, qui nuptiarum celebritati interessent; novaeque nuptae munera deferrent. Eo anno in urbem venit Laurentii frater Julianus Medices, a Paulo Trenta hospitio exceptus: salutatisque decemviris postridie abscessit. Insequenti anno (1) multa salubriter constituta. et primo, cum humanae societatis commerciique ratio, fide publica flandae feriendaeque pecuniae contineatur; renovata legum severitas in eos, qui adulterinam signassent. Decretum quoque ut ordinatores collegiorum, antea a decemviris legi soliti, in posterum ab universo XXXVI. virorum consilio legerentur. cautumque ne ex-

(1) Ann. 1474.

teri homines domos fundosque in urbe agrove emerent: multa tabellionibus irrogata, qui earum emptionum tabulas confecissent. annonae etiam consultum; datumque negocium praefectis, ut minutas fruges, adversus ingruentem inopiam subsidium compararent: decemvirique ob eam rem aditu urbis agrique exteros arcere, ingressosque pellere finibus jussi: nisi jam bona, unde victus illi suppeteret, possedissent. Creati quoque XXIV. viri (1) cum summa potestate, quoniam senatus auxilia, ob majorem numerum, lentiora videbantur. Placuit tamen eos legum fines non egredi: experto infinitas potestates semper parum prosperas civitati fuisse: nec unquam nisi libertatis periculo, paucorum arbitrio commissam esse rempublicam. Eodem anno Joannes quidam homo Gallus, qui retinendarum apud Allobroges rerum magna pars fuerat, comprehensus tortusque; cum in quaestione conscios plures nominasset, interque eos Nesem Francum, civem alias perniciosum, et omnia supplicia meritum, praetoris sententia tandem securi percussus est. cum Franco ob nobilitatem clementius actum; condonataque vita,

(1) Balia.

perpetuo carceri inclusus. Hoc anno, alius alio tempore, duo insignes purpurati urbem intravere. Calandrinus julio mense: Nardinus septembri. utrique duo ex decemviris obviam extra urbem egressi. Prior jam civitate donatus fuerat: alter tanto ambitu eum honorem concupivit, ut XII. dies Lucae substiterit, donec a senatu una cum Christophoro fratris filio compos voti fieret, laetusque eo beneficio, solemni Exaltatae Crucis die, qui a Lucensibus publica laetitia colitur, in basilica martiniana sacris operatus est: majestatemque ejus diei, tanti viri praesentia augustiorem reddidit. munera illi e publico magnifice data: aedesque ac horti in quibus habitaret, in foro basilicae martinianae coempti. laudato ejus aetatis more, quo aut dignitate, aut doctrina clari viri, eo pretio frequentandae nobilitandaeque urbi invitabantur. qui, ut pleraque laudabilia, nostris temporibus exolevit. Insignem, qui sequutus est, annum (1) saecularis celebritas fecit: quae ut plura fruerentur, a centesimo ad quinquagesimum annum a Clemente VI. inde ab Urbano VI. ad trigesimum quartum, denique a Paulo II. ad

(1) Ann. 1475.

vigesimum quintum contracta, in eo tandem stetit. Eo anno adversus fraudes decretum, ut tabulae quaestionum, quae apud praetorem urbanum conficerentur, exactoris anulo obsignarentur, paginisque numerus imprimeretur. Arx quoque ad Ignosum aucta, ac novis operibus munita; altero praefecto ad custodiam addito. Eodem anno mediolanensis reguli orator Apuae praefectus in urbem venit. suspensisque patribus quid ea legatio afferret; summa illius fuit, regulum per autumnum in maritimis Lucensium venatum venire velle: proinde orare ut edicto caveretur, ne quis ante id tempus venationem iis in locis exerceret; ut copiosior ferarum praeda in ejus adventum servaretur. ita nimirum solutus luxu juvenis, imperii curis per lasciviam voluptatesque illudebat. Cajo atque Neroni, quam patri, aut avo similior. Eodem anno luna mense martio, sideris fulgore ultra solitum obscurato defecit: terrae motu concussae: una e portis civitatis de caelo tacta. Obiere eodem anno insignes viri Paulus Podius et Franciscus Bertinus. Podius vetere et clara familia ortus, senatorio gradu, equestri honore, pluribus legationibus, iterato novies decemvirali principatu, privati civis modum excesserat. funus illi insigni pompa ad D. Romani celebratum; cui antistes civi-

tatis, cum universis sacerdotum collegiis interfuit, sacrisque ad aram inter exequiarum honorem operatus est. spectaculo fuit cadaver toga praetexta, ac insignibus magistratus velatum, sublatis circa Ferdinandi regis, ac Insubrum reguli vexillis, quae atrati in equis alte praeferebant: tota praeterea civitate in obsequium funeris effusa: liberalioribus tunc in hujusmodi honores civium animis: donec postea gliscente invidia, per speciem minuendi ambitus, virtutis praemia tollerentur. Bertinus virtute quam genere clarior: novus homo regum gratia amicitiaque ad sacerdotia ac infulas evectus; magnisque negociis, ac legationibus perfunctus. Obiit in Gallia apud Burgundiae regulum pro Ferdinando Neapolitanorum rege legatus, non sine veneni suspicione, magno sui apud eum regem desiderio relicto. Insequens annus (1) civitati terrorem intulit pestilentiae exortu: quae cum per autumnum morbis in corpora vulgatis serpere coepisset; ejus vi per initia comprimendae lecti Franciscus Podius, Joannes Guidiccionus, et Galeottus Franciottus, cum tanta potestate quanta penes senatum est. cum ejus mali pre-

(1) Ann. 1476.

ceps natura validis promptisque remediis indigeat: quae a multitudine frustra expectantur. Eo anno septembri mense cardinalis Julianus Ruvereus; qui deinde in pontificatu maximo Julius II. appellatus est, e gallica legatione revertens, magno antistitum procerumque comitatu Lucam intravit. obviam ei Montolium usque processere Nicolaus Gilius decemvirorum princeps cum duobus collegarum Nicolao Noceto et Manfredo Gentilio, ac universae nobilitatis flore: una cum Stephano civitatis antistite, cunctisque sacerdotum collegiis; eumque laute exceptum magnificeque donatum, proximo die abeuntem, iidem decemviri extra portam prosequuti, hospitio laetum dimisere. Eodem anno cum valetudinis causa Julianus Medices, et e purpuratis Theodorus Palaeologus imperatoria stirpe, quem Montisferrati cardinalem appellabant, ad aquas lucenses venissent, publico nomine salutati, donisque donati fuere. Ferrariensi quoque regulo, quod propinqui sui Nicolai estensis conjurationem evasisset, missi qui reipublicae nomine gratularentur Bartholomaeus Podius antistes Cassanensis, et Joannes Guidiccionus. Is quoque annus egregium civem urbi peperit Bartholomaeum Platinam, per errorem aliis Baptistam appellatum, pontificalis historiae ce-

lebris famae scriptorem: qui cum civitatem sibi dari a senatu petisset, consulentibus Dominico Bertino, ac Jacopo Benedicto, claris literatisque senatoribus, impetrata re diu Lucae habitavit. Jacobo quoque Pergulae insigni medico, unde postea nobilis Pergularum familia, eo anno civitas data. Majore jactura amissus cardinalis Calandrinus, decus duarum civitatum, et in qua ortus, et in quam adlectus. cui Nicolaus frater claritudinem dignitatemque, famam gloriamque ipse virtute sibi peperit. quippe incorrupta illi morum integritas, senatoria libertas, mite ingenium, et in gerendis rebus solertia. Fine anni Galeatius Mediolanensium regulus, nobilium juvenum conjuratione, quorum princeps erat Joannes Andreas Lampugnanus, in templo D. Stephani obtruncatus est. Principatum tutelae nomine, dum parva Galeatii proles adolesceret, Ludovicus Sfortia defuncti patruus invasit: perfidia ac scelere partum imperium non laeto exitu positurus.

Turbatae sequenti anno (1) res, initio facto a Fani Feroniae incolis: qui antiqua in finitimos Camajorenses aemulatione, seu novis

(1) Ann. 1477.

odiis, ut rebellantium mos est, in veteres dominos; illius oppidi fines infestabant. nec ab alia parte cessatum: injuriasque nunc propulsando, nunc inferendo eo res processerat, ut in apertum bellum eruptura videretur: ni mature subventum foret. Quippe agrorum utrinque populationes, aedificiorum incendia ruinaeque, pecora abacta; nec quicquam eorum omissum, quae in hostico fieri solent. Ad opprimenda erumpentis belli semina, patres Nicolaum Manfredum Genuam, injurias questum misere. sed cum is nihil nisi verborum ambages, et inania verba retulisset; jus armis persequi placuit. itaque IV. belli praefectis cum summa potestate creatis DCCC. equitum, ac MCCC. peditum manu, duce Christophoro a Valle, in Feronienses immissa, vastatisque circa agris, oppidum ipsum obsideri coeptum. Decretum quoque ut in bellum milites suppeterent, ut exules omnes, quocumque maleficio, praeterquam qui scantinia lege damnati, aut hostes judicati essent, restituerentur. nec deerant ex oppidanis, qui conditorum, dominorumque suorum memores, illud tradere Lucensibus meditarentur. sed detectus egregii facti auctor, supplicio affectus, discerptusque est. Interea ubi id Mediolani rescitum, tutores reguli, sub cujus imperio Genuenses tunc erant, quietem

pupilli rebus necessariam rati, Antonium Appianum Lucam misere, qui patres reguli nomine oraret, ne Italiam levibus causis bello involverent. si quae inter utrumque populum controversia esset, jure posse disceptari; amiceque eam rem transigi. Nec inanis metus Insubrum animos pervaserat, posse per eam occasionem Italiae res moveri. nam et Florentini misso Antonio Albicio, bellum suadebant, auxiliumque ex foedere pollicebantur: Venetique per legatos subsidia Lucensibus ostentaverant: non reipublicae amore, sed alieno periculo suam quique rem curaturi. nam de Florentinis compertum, eodem tempore et aperte Lucensibus bellum suadere, et clam hostibus auxilia submittere. qua de re, misso Nicolao Gilio apud eos expostulatum: multaeque centummillium in eum populum latae, qui prior fidem fregisset, admoniti. quare cum et sociorum fides dubia appareret, et Mediolano CC. equitum subsidium obsessis venisset: nec dubitaretur, si perseveratum foret, ex diversis partibus, qua occulte, qua palam auxilia affutura: cum XV. dierum induciae pactae essent, tutissimum e presentibus visum, ut tres legati, mediolanensis, venetus et florentinus, tam de jure oppidi, quam de illatis eo bello damnis sententiam ferrent: qui

communi consensu, totius rei arbitrium mantuano regulo permisere. eo conciliante, iniquis conditionibus, majoris mali metu, pax sancita: ut neuter populus alter alteri praestare impensas, damnaque eo bello illata teneretur. de jure oppidi lege ageretur; secundum eum litem futuram, qui meliorem causam habuisset. ita de Feroniae Fano in praesens transactum. dataque potestas Martino Cenamo, qui per initia ejus tumultus Mediolanum missus fuerat; ut senatus nomine pacem acciperet: quam deinde S. C. ratam patres habuere. Supplicatio ob eam rem per urbem indicta, cui universa sacerdotum collegia, cum senatu ac decemviris, Venetorumque praeterea, ac Florentinorum oratores interfuere. Dum apud Feroniae fanum bellatur, V. idus septembris, in urbe subita consternatione ita trepidatum, ut e turri palatina dato signo, ad arma undique discurreretur: multitudine fausta populo libertatique acclamante: occupatumque forum, foroque porticus imminens praesidiis firmata. nulla satis certa ratione: sed clamore in extrema civitatis parte ad occidentem exorto, eoque temere, ut fit, per urbem vulgato, ante tumultuatum, quam consternationis causa sciri posset. Praeter legationes mediolanensis reguli, Venetorum, ac Florentinorum, legati quoque

aliorum principum eo anno in urbem venere. Iniqua fama apud patres regulus ferrariensis erat, quod Feroniensibus opem tulisset: itaque per legatum excusavit, foedere teneri se causatus. Mantuanus quoque controversiae cum Genuensibus de Feroniae fano lectus arbiter, legatum misit, qui praesens fines cognosceret: cui Nicolaus Tegrimius, et Petrus Guercius comites dati. Sed omnium splendidissima Ferdinandi regis legatio fuit, qua patres, ad officium nuptiarum, quas cum Joanna Tarraconensium regis filia celebraturus esset XIII. kal. septembris, invitavit. lecti e flore civium VIII. viri, qui legatum ab hospitio in palatium deducerent: cui adventanti, decemviri in aulam obviam progressi, medium acceptum principi proximum locavere. mutua salutatione perfunctis, literae regis a legato redditae sunt, multa humanitatis significatione scriptae; quibus ipse plura de regis erga rempublicam benevolentia addidit, quam patrio affectu complecteretur: seque ac sua libertati ejus tuendae polliceretur. quibus brevi gravique oratione a principe responsum: (Paulus Balbanus is erat). « Regem, ut magnanimum principem deceat facere: nec rempublicam, tam benevoli erga se animi, unquam fore ut oblivio caperet. Senatum, ut par sit, missurum qui celebritati nuptiarum

» interesset: idque conjugium felix faustumque » illi optare; scireque ad orbis terrarum sa» lutem publicam pertinere, ut ex tali rege » plures crearentur ». cumque hoc responso dimissus, donisque magnifice donatus ad regem rediit; quem statim honestissima Lucensium legatio consequuta est, cujus princeps erat Balthassar Guidiccionus. legati amanter a rege excepti cultique: e quibus Guidiccionum sua manu equitem creatum, aureo torque donavit. Reversi, urbem totam, regis benignitatem comitatemque narrando, laetitia implevere; quem inter caetera illud dixisse memorabant, se pro lucensi libertate, si opus esset, coronam regnumque impensurum. Certe Lucenses eximie coluit; ex iisque Bertinum, Guidiccionum, Podium sacerdotiis infulisque decorandos curavit; consiliis adhibuit, legationibus honestavit. Aliae quoque legationes, ut reipublicae tempora postulabant, ad diversos principes a senatu missae. Dominicus Bertinus, ac Martinus Cenamus Mediolanum: prior ut de Galeatii morte viduam uxorem, parvosque liberos consolaretur: alter ut de bello, ac reipublicae jure doceret; quod Genuenses Feroniensesque, hi rebellando, illi perfidos recipiendo graviter lacsissent: praeter Nicolaum Tegrimum, Andream Podium et Nicolaum Gilium; primos

ad auxilia ex foedere poscenda, tertium querelis ob violatam socialem fidem perferendis Florentiam missum, ut supra memoravimus. Insignes quoque viri eo anno hospitio excepti, Laurentius et Julianus Medicei, duorum pontificum parentes, quorum arbitrio florentina res agebatur, mantuanus regulus, qui ab aquis lucensibus revertens urbem invisit, ac melphitensis princeps cum magno procerum nobiliumque comitatu. Bis quoque eo anno Lucam accessit Eleonora Ferdinandi regis filia, ac ferrariensis reguli uxor, dum Neapolim ad parentis nuptias pergit, atque inde revertitur. excepta est regio cultu in aedibus suburbanis, quæ Pauli Guinisii olim fuerant, magnificisque muneribus donata. Eodem anno de instituenda publice academia, clarisque professoribus conducendis rursus actum: nova quoque, eaque mirabili, paucos ante annos reperta, veterum ingeniis ignota imprimendi arte, Bartholomaeus Civitalis, Belluno forojuliensis provinciae oppido oriundus, civitatem auxit. unde Civitalium familia, Josepho lucensium rerum scriptore, et Matthaeo sculpendi marmoris artificio antiquis comparando, nobilis. Obiit hoc anno supremum diem, civitatis totius luctu Stephanus Trenta, sacerdotii sui anno IX, et XX Cinguli in Piceno: cum pontificis maximi nomine, illius provinciae

praefectura fungeretur; vir magnus, et inter egregios memorandus: germanica ad Fridericum caesarem, britannica ad regem Odoardum, ac romana ad Paulum II. legationibus clarus. Cadaver Lucam relatum, inter civium lacrymas quod honestissimum funeris genus est, in basilica martiniana sepultum. conceptum ex morte ejus dolorem leniit, renunciatus in ejus locum maximus civis cardinalis Ammanatus: qui cum absens per procuratorem sacerdotii possessionem adisset, tandem octobri mense, totius urbis gratulatione, ac regia pene pompa exceptus est. Intravit urbem V. Kal. novembris infulatus, cum reliquo sacerdotalis majestatis cultu, praeferentibus aureum velum senatoribus, decemviris vero lateri adequitantibus. Locatus est in pontificia sede a pisano antistite, qui ad eum salutandum officii causa venerat. sub noctem Laurentius Medices Lucam ingressus, cum eoque multum sine arbitris colloquutus, sub lucem profectus est. Creditur questum ad eum de Sixti pontificis acerbitate venisse; quem Florentini reipublicae suae parum aequum experiebantur: oratumque, ut qua auctoritate in romana aula pollebat, accensum pontificis animum mitigaret. nec diu Ammanatus in urbe sustitit; quippe novembri mense Romam reversus est, ubi pontifex maximus arduis reipublicae christianae gerendis ne-

gociis, consultorem adjutoremque expectabat. Fama est, pagum sibi natalem illum praetereuntem, effusisque obviam conterraneis, eique dignitatem faustis acclamationibus plausuque gratulantibus, hilari vultu humilitatem originis suae agnovisse; manuque elata pollicitum majorem ei loco fortunam, si diutius vivere contigisset; fidemque profecto datam liberasset, si ad id fastigii, quo eum virtus, et hominum favor ducebat, per acerbum, quod illum biennio post intercepit, fatum pervenire licuisset. Fine anni cum quidam Minucianenses ordinum ductores, a Genuensibus mercede corrupti, Ignosum noctu scalis occupare, praefectis ac praesidio caesis, oppidum arcemque prodere iis tentassent; patefactis eorum consiliis, proditores securi percussi. Tranquillis Lucensium rebus, bello sequenti anno (1) turbata est Etruria: Sixti pontificis maximi, Ferdinandi regis, Senensiumque armis in Florentinos motis. Erat inter florentinae reipublicae principes Jacobus Pazzius, vetusta nobilitate, qui mediceae domus potentiam, sive ut libertati, sive amplitudini suae, seu verius utrique gravem perosus; pisano antistite Francisco Salviato, aliisque affinium amico-

(1) Ann. 1478.

rumque, quos fidos putabat, in conscientiam assumptis, inter sacra et aras Laurentium Julianumque, gentis capita, trucidandos susceperat. Sed Juliano vulneribus confosso, cum Laurentius, quamquam et ipse vulneratus, evasisset; populo florentino, quem conjurati frustra ad libertatem vocaverant, in auxilium dilectae domus accurrente, quidam eorum capti: interque eos Salviatus, quem nulla sacri ordinis reverentia, e palatii (quod, dum a caeteris caedes perageretur, occupandum susceperat) fenestra suspensum, fractis laqueo cervicibus interemere. Hieronymi quoque Foroliviensium dynastae, qui coniurationis hujus architectus credebatur, affinis Raphael Riarius romana purpura insignis, in eo tumultu captus, et in custodia habitus. quem juvenem admodum, et totius rei ignarum, conjurati in speciem, scenamque assumpserant: quibus accensus pontifex (quem quidam tanti sceleris conscium arguere non verentur) vindicandae sacerdotii majestati, quam in sacrosanctis hominibus, altero capto, altero tam indigne necato Florentini laeserant: non contentus Laurentium ejusque partis homines diris devovisse, urbique florentinae sacra interdixisse, bello etiam aggressus est; inito cum Ferdinando rege ac Senensibus foedere, quibus Florentinorum opes suspectae esse jam

coeperant. Florentini belli contagio Lucenses quoque afflavit; nam et e proximis castris copiarum, quae in campis Aesari adjectis tendebant, frequentes excursiones praedaeque et abactus pecorum: plena omnia militibus, crebri praefectorum legatorumque adventus, privatim hospitiis, publice largitionibus donisque civitatem hauriebant. Adjiciebantur sumptus in militem, qui arcendis injuriis finibus praesidebat; unde crebrae velitationes et parva utrinque praelia, dum rapinae tentantur aut prohibentur. capto etiam a Christophoro Turco e florentina nobilitate Cappone Capponio; et clara praecipue Georgii Massae Lucensium praefecti pugna; qui in globum Pisanorum cum paucis admodum militibus invectus, cataphracti equitis os insigni vulnere laceravit, ballistario guttur trajecit, alterum occidit, tribus praeterea sua manu captis. Nec minus a nostrorum parte interdum vulnera, et caedes; Paulo etiam Bonvisio, ac Locoro Locori sauciatis. ob quae in Florentinos conceptum odium: veteresque causae, et structae libertati toties insidiae redibant. Itaque per has injurias cum sequenti anno (1) Petrus Capponius Florentinorum legatus

(1) Ann. 1479

Lucae esset, populi tumultu in eum concitato, parum abfuit quin furentium manibus discerperetur; violatoque gentium jure civitatem impiam faceret. Sed magistratuum auxilio tectus evasit: lata mox majestatis lege in eos qui legatos quoscumque violassent. qua severitate compressa audacia, claroque viro Florentinisque satisfactum. Hoc anno decessit antistes Ammanatus, vir magnus, nec minus fortuna quam virtute memorandus; majoris etiam consilii habitus, nisi eam laudem, circumforaneo medico valetudine commissa, aliquanto corrupisset: qui intempestiva veratri purgatione, in medio gloriae curriculo summae spei proximum, rebus humanis exemit. Extinctus est ad D. Laurentii fanum in agro vulsiniensi, quo pestilentiae vitandae causa Roma concesserat. cadaver in urbem relatum, marmoreoque tumulo ad D. Augustini conditum, pontificis maximi decreto, cum aliter ipse sanxisset. testamentum magnitudine opum, quas parsimonia, pluriumque sacerdotiorum censu congesserat, irritum fuit: in famam laudemque nemini licuit. extant nonnulla ingenii ejus monumenta: reliqua, seu malevolorum invidia subtracta, sive in aliqua bibliotheca recondita, literatorum votis expetuntur. Cum de successore in senatu quaereretur, studia in duos cives nobilitate ac meritis insi-

gnes scissa fuere. erant ii Nicolaus Sandonninus mutinensi sacerdotio, ac pluribus legationibus clarus, ac Bartholomaeus Podius cassanensis antistes Ferdinando regi a consiliis. Placuit, optione ei relicta, utrumque a pontifice maximo postulari. quod cum factum esset, vicit Sandonninus; quem sequenti anno solemni pompa, sacerdotii possessionem adeuntem patres populusque ingenti gaudio excepere. Fine hujus anni pax cum Florentinis Senensibusque, rege ac pontifice maximo coaluit. nam cum Laurentius Medices fessam bello civitatem, motasque religione hominum mentes cerneret, conscensa navi se ad regem contulerat; majorem in hostium misericordia, quam in civium invidia spem reponens, coramque de concordia egerat; quam invito pontifice impetravit, cum stipendiariam regi Florentinorum rempublicam fecisset; annuo tributo LX. millium aureorum pacto: quod usque ad annum MCCCCXCIV. solutum est(1): quo demum adventu Caroli VIII. Francorum regis, et medicea domus potentiam, et Tarraconensis regnum amisit. quae pax sequenti anno (2) vulgata, universam Italiam gaudio recreavit. Rebus ita

(1) Nardi, hist. flor.
(2) Ann. 1480.

compositis, foedus inter pontificem maximum, Ferdinandum regem, Insubrum regulum Florentinosque ictum: cui cum Lucenses a rege, regulo ac Florentinis, tamquam socii atque amici adscripti essent; missi Nicolaus Tegrimus Mediolanum, Joannes Guidiccionus Neapolim, qui foederis tabulas signarent. ivere quoque Franciscus Podius Senas, Petrus Fatinellus Florentiam, ut reipublicae tempora poscebant. et Podium quidem, trepidis Senensium nunciis exciti patres, noctu ex urbe dimisere; jussum noctem diemque iter continuare: nec ejus trepidationis causa resciri potuit. tanto fideliori tunc secreti custodia, quod nunc nullo negocio etiam ad minime cupidos permanat. Hoc anno Lucam venit Philibertus Hugonetus, quem cardinalem matisconensem appellabant; dum ad Galliarum regem Burgundiaeque regulum, conciliandae inter eos pacis legatus proficisceretur. exceptus est magna honoris significatione, antistite urbis, sacerdotumque collegiis, ac honestissimis patrum obviam prodeuntibus. donatus quoque magnifice e publico; parva aut nulla, ob importunitatem morum, ipsius gratia. Eodem anno terrae motu concussae; ingentes quoque ventorum tempestates extitere; nimbique praeter morem effusa grandine, arborum satorumque ingentem stragem edidere. prodigio quoque fuit, quos-

dam durati imbris lapides, serpentum speciem praetulisse: seu potius vanum id, nec ultra aestimandum, quam procellae vi temere in eam formam coactum humorem, ea oculorum ludibria effecisse. Insequenti anno, (1) quod ad publicas res attinet, quae in actis senatus reperiuntur, plura prudenter adversus pestilentiam constituta: praemia quoque decreta iis, qui frumentum ex alienis terris importarent: pecuniaque ex aerario ad comparandas fruges deprompta. Siccandis quoque paludibus circa Rogium Auseremque amnes, negocium IX. viris datum, cum Pisciensis quidam, talium rerum peritus, stagnantem humorem emissurum polliceretur. fallaci saepius huiusmodi hominum experimento, adversus aquarum contumaciam; quae occulta venarum collectione, ac perpetuo affluxu, omnia artis tentamenta frustrantur. Actum quoque de Aesaris cursu in directum agendo; cum per flexus erroresque minore impetu fluens, tardius se se in mare, agrorum damno, praecipue hibernis tempestatibus auctus, exoneraret. Triumviris etiam monetariis facultas data, poenis animadvertendi extra ordinem, in eos qui adulterinam pecuniam signassent, si-

(1) Ann. 1481.

gnataque in commerciis uterentur. invitandisque civibus ad liberos suscipiendos, urbemque frequentandam, Blasio Menochio XII. liberorum virilis stirpis ex eadem uxore patri, annuum subsidium ex aerario secundum leges decretum. ex quibus propagata nobilis Menochiorum familia; quae claris viris divitiisque olim florens, nostra aetate ad inopiam, et solitudinem redacta, vix unius spiritu trahitur. Eo anno in urbem venit e purpuratorum numero Sabellus, prisca nobilitate; magnificeque donatus e publico, cum biduum substitisset, Genuam, quo legatus erat a pontifice maximo profectus est. Supplicatio ad Divorum inde templa habita, cum de victoria navali classis Ferdinandi regis adversus Turcarum classem fama perlata in urbem esset. Is qui consequutus est annus, (1) adventu Juliani Ruverei cardinalis, per initia laetus civitati fuit. intravit urbem III. Id. januarii, inter caeteros clari nominis secum ducens egregium civem Jacobum Minutulum, antea nucerinum, tunc agathensem in Gallia antistitem: quo sacerdotio Ludovici XI. Francorum regis, cujus sibi animum devinxerat, beneficio potiebatur. Conciliabat homini venerationem, praeter am-

(1) Ann. 1482.

plissimum purpurae decus Sixtumque patruum, excelsa animi indoles, cum quadam corporis orisque] majestate: quasique homines jam illi summum fastigium augurarentur, exquisitis honoribus exceptus est. effusi illi obviam extra muros princeps decemvirorum Nicolaus Nocetus cum duobus collegis, ac pleraque nobilitate in equis. tum praetor urbanus, praefectique cum turmis ballistariorum, cohortibusque externorum militum, qui tunc in praesidio urbis erant mercede conducti. affuere quoque universa sacerdotum collegia, antistitesque Sandonninus lucensis, et Nicolaus Guidiccionus nicoterensis; qui id sacerdotium Ferdinandi regis munere obtinebat. Divertit in aedes Galeotti Franciotti, triduumque moram in urbe fecit. una cum Ruvereo ingressus quoque urbem est Carolus Borbonius, regio Francorum sanguine, et ipse e numero purpuratorum, qui gallico itinere Frisonariae substiterant. uterque magnificentissimis donis e publico ornati, alter Romam, alter in Galliam, humanitate hospitum laeti discessere. Tranquillae civitatis res, ut fere fit, quamquam saepius legum severitate coercitum, tam in urbe quam in agro luxum revocaverant. praecipuaque insania, in duabus longe diversis rebus, conviviorum ac funerum apparatu, modum excesserat. ei refraenando

certis civibus negocium datum, qui intra civilem modum immodicos sumptus coercerent. Foedus quoque cum Florentinis, ipsis deposcentibus, renovatum: Martino Cenamo ei feriendo Florentiam cum potestate misso. Hic annus novam animadversionis legem reipublicae attulit; graecarum urbium exemplo, quibus olim solemne, cives qui potentia ac opibus reipublicae graves essent, per ostracismum ejiciendi. quippe Martino Bernardinio Decemvirorum principe referente decretum, ut singuli senatorum, prout sua cuique religio suasisset, quatuor civium nomina, qui moribus vitaque maculosi, aut alio dedecore infames essent, in tabella conscriberent: numeratisque tabellis, quaterni eorum qui plures tulissent, vulgarentur, deque iis in suffragium iretur: quorumque damnatio perlata esset, triennium ab urbe agroque exularent. Primi ea lege in exilium pulsi e patriciis Petrus Ciampantes, et Andreas Maeus: e plebe Laurentius Guidi, ac Marianus Gulielmi filius: eaque lex in haec usque tempora pervenit. nec alia purgandae civitati salubrior, cum multitudine ac suffragiis regitur: periculosa eadem religioni tantum paucorum commissa, quemadmodum aetas nostra vidit, ne ad magnos optimosque a pessimis transferatur. Sed malorum magnitudine,

quibus aegra respublica jamdudum laborat; in validis legum auxiliis, ac judiciorum aequitate, ut in morbis extremis solet, ad haec ultima et ancipitia ventum est. lex quoque in eos lata, qui contra senatus jurisdictionem se immunitatibus, ac privilegiis tuerentur: ne iis honores capere, aut publico munere fungi fas esset: hostesque judicati exulum ii, qui idem tentassent. et haec noxiis puniendis constituta. Sed ne virtus jaceret, pecunia ex aerario decreta argento coemendo, quo Bartholomaeus Scala reipublicae florentinae a secretis, vir eloquens, literarumque fama ea aetate celebris, ob egregia in rempublicam merita donaretur. Eo anno palatium fulmine e caelo tactum: caelumque ipsum augusto mense, prima noctis hora ardere visum: igneo globo per aerem suspenso, ex eoque in fornacis morem scintillis flammisque erumpentibus: magno spectantium metu, nec minore miraculo, cum nullus, quamvis magno natu, ejus monstri aliquando visi meminisset. Eo qui sequutus est anno (1), cum in foedere quod contra Venetos inter Sixtum pontificem, Ferdinandum regem, insubrum ferrariensiumque regulos, Florentinosque

(1) Ann. 1483.

ictum est, rex Lucenses amicos sociosque scripsisset, patres S. C. id ratum jussere. Hoc eodem anno cum cella sacri Vultus in martiniana basilica a majoribus excitata, majestati numinis parum congruere videretur; vetere aedificio disjecto, in eam quae nunc cernitur operis magnificentiam elegantiamque, liberalitate civis egregii Dominici Bertini gallicanensis, e lunensi varioque marmore renovari coepta: praeclaro operi elaborando lectus Matthaeus Civitalis, quem sculpturae arte celebrem, ea aetas antiquis parem tulerat: non patriae modo, sed et universae Italiae eximiis operibus ornandae. Opus intra paucos menses absolutum: cui ad veterem splendorem, nostra memoriâ nobilis civis Paulus Lipparellus, XII. simulacris, nobilium artificum labore, novum decus, ac amplitudinem adjecit. Insequens annus (1) pace primum inter pontificem foederatosque, ac Venetos composita, inde ejusdem pontificis morte, ac paulo post Innocentii VIII. renunciatione insignis extitit. quem illustri apud Graecos Ciborum gente Genuae ortum, Lucenses paulo ante in civitatem adlegerant. Ad eum salutandum senatus anti-

---

(1) Ann. 1484.

stitem civitatis Sandonninum, ac Nicolaum Nocetum oratores misit, qui octobri mense cum splendido comitatu Romam profecti, summo cum honore excepti deductique urbem intravere. effusi obviam extra urbem ad mille passus omnes principum oratores, cum flore romanae nobilitatis, magnoque antistitum numero; tum purpuratorum familiae, quibus pontifex maximus eum honorem adjecit, ut omne palatinae Aulae ministerium, familiaresque suos extra portam occurrere juberet. quod praeterquam regum, magnorumque principum legatis praestari insuetum, propensi in rempublicam animi, talium miratores interpretabantur. Et quidem aequus per se Lucensibus Innocentius; sed aequiorem etiam reddebat, omnium arcanorum ejus conscius nobilis civis Hieronymus Balbanus, familiae splendore, ac perusina infula deinde clarus.

Pace per Italiam parta, Etruria bello ardebat: armis inter Florentinos Genuensesque motis, de lunensis civitatis possessione: quam Florentini olim Lucensibus ereptam, ab Augustino Fregosio imperio suo avulsam, vi ferroque repetebant. Sed cum eam saepe frustra tentassent, universa belli mole repente in Feroniae fanum conversa, oppidum situs opportunitate haud spernendum, tandem per dedi-

tionem, praeter arcem recepere: qua deinde, cum praefectum spe atque auro corrupissent, potiti: quod ubi Lucae auditum, legati statim Florentiam missi, qui conditum olim a Lucensibus oppidum, ac per injuriam deinde a Genuensibus occupatum, a sociis foederatisque repeterent. Animis parum aequis, ea legatio audita; aures animosque cupiditate obstruente. quippe, si bonorum sociorum officio fungi vellent, victoriae fructu se cariturос cernentibus. Itaque, cum veris destituerentur, inanibus causis assumptis responsum: « fanum Feroniae hostibus a se, non sociis ademptum; florentinum populum scire, id oppidum a Lucensibus olim conditum, eorum imperii aliquando fuisse. Sed, sive jure belli, sive injuria amissum; nec armis, nec legibus vindicatum. quo facto satis a Lucensibus ostensum, aut ad se amplius eam coloniam non pertinuisse; aut intra legitimum tempus non repetitam, frustra nunc reposci, cum jam usucapione alieni juris facta, belli lege ad eos transierit. Florentinos, ut ad eam restituendam religione cogi non posse, ita ut amico populo gratum facerent, id in animum induci passuros, si sumptus in id bellum facti sibi praestarentur ». Quibus domum relatis, aperte intellectum quid Floren-

tini de reddendo oppido cogitarent. quare cum aerarii angustae admodum rationes essent; nec pretio aut armis transigi posset, ejus rei mentio in opportunius tempus dilata. Quin, cum suspicio patrum mentes pervasisset, Florentinos uno oppido minime contentos futuros; sed ea belli occasione ad obtinendam tandiu concupitam Lucae dominationem usuros, majoribus praesidiis urbem firmavere. Nec vanam eam fuisse, praeter notam ejus populi cupiditatem, etiam amicorum literis cognitum; quibus patres ut acri custodia rebus suis intenderent admonebantur. neque occulta ejus rei indicia jactis interdum temere vocibus, ab ipsis Florentinorum subjectis erumpebant. Quare ne ulla tuendae libertatis cura omitteretur, variae legationes sequenti anno (1) missae. Nicolaus Tegrimus Florentiam ad Laurentium Medicem, ut fani Feroniae obtentu, consilia molitionesque Florentinorum introspiceret: Sandonninus antistes Romam ad Innocentium pontificem: Galvanus Trenta Genuam ad Paulum Fregosium, ejus civitatis et sacerdotem et principem; quem Hilaria Pauli Guinisii filia genitum supra memoravimus. Duobus qui

(1) Ann. 1485.

consequuti sunt annis (1) nihil memoria dignum in actis reperio. Sequenti anno (2) cum aedificia extra urbem moenibus proxima dirui placuisset; inter ea templum coenobiumque D. Pontiani, quod antiquitus a magni Benedicti asseclis summa religione cultum, id temporis monachi, quos ab Oliveto monte appellant, pari pietate incolebant, pontifice maximo annuente eversum, intra urbem denuo extructum est ad D. Bartholomaei aedem, quam in Silice appellabant: curatoribus ejus operis Nicolao Turretino, Antonio Narduccio et Thoma Bernardo. Pons quoque egregii operis super Aesarem ad VI. ab urbe lapidem antistitis Sandonnini senatusque impensis extructus est, Matthaei civitalis arte: secundae ab illo famae, quem molis immensae ex quadrato saxo ad D. Magdalenae fanum, uno arcu totum flumen complexum, Castruccius olim excitavit. Salutaris insequens annus (3) reipublicae extitit, pessimo hominum genere exonerata civitate. Judaei, malefica gens, ac generis humani odio infamis, dum pie magis quam sapienter in christianorum urbibus tolerantur, iis qui-

(1) Ann. 1486 e 1487.
(2) Ann. 1488.
(3) Ann. 1489.

bus pollent nocendi artibus, non Hispanias modo, sed universam quoque Italiam infecerant. Praecipuum malum, quo veluti tabe bona fortunasque omnium excederant, foenoris magnitudo: atque inde cunctorum scelerum labes: dum universos aere suo aliis atque aliis usuris cumulato, subjectos atque obnoxios habent. hinc pleraque ad eorum nutum agi: abjectique olim, et orbis terrarum purgamenta, optimo cuique formidabiles esse. Hanc hominum pestem omnino tollendam divinus quidam vir Bernardinus susceperat, Feltria Venetorum urbe oriundus, minorumque ordinem professus: qui caelesti qua pollebat facundia, dolos fraudesque, ac caetera ejus nationis crimina in concionibus aperiendo; tantam invidiae procellam in eos conflaverat, ut invisi et explosi passim urbibus pellerentur: miro plebis studio gaudioque, spoliatores suos spoliatos cernentis. Mensis ubique ex piorum collationibus constitutis, quas pios montes appellavere; in quibus nullo foenore mutua pauperibus pecunia, captis pignoribus, traderetur. Eo suadente Luca quoque Judaei exacti, datumque sex viris negocium, hujusmodi mensam constituendi; inter quos praecipua Dominici Bertini liberalitas extitit, qui non consilio tantum atque opera, sed etiam pecunia pium opus adjuvit.

quippe coelebs divesque, in tales usus verae vitae amore cuncta dicaverat. Antistes quoque Sandonninus, majusque basilicae martinianae collegium, eadem liberalitate pecuniam in medium contulere; quamquam non deessent, qui judaico auro corrupti, venales sententias pro eis dicerent: quos Bernardinus caelestis irae ultione, si pergerent, indicta, a studio deterruit. quippe conciliabat dicenti fidem eximia vitae morumque sanctimonia, caelestium etiam prodigiorum auctoramento commendata. ferebaturque non vanis auctoribus, caput illi inter concionandum innoxia flamma arsisse; rosasque e loquentis ore effluere conspectas. Accessere alia, quibus superis cordi esse judaeorum exilium, piaeque mensae institutionem patuit. quippe Francisco e D. Stephani pago in aedibus D. Cerbonii e caelo servante; noctu Christus in pura luce nubi insidens, urbi imminere visus est, locumque pio monti designare. nec visis fides abfuit: tam subita animorum conversione, ut dives mercator, qui omnium maxime obstiterat, non modo suffragaretur, sed et XL. aureorum millia moriens in eum usum legaverit. Sequenti anno (1)

(1) Ann. 1490.

quieta externis malis republica, domi turbatum. Neses Francus, civis alias pestilens, et perpetuo carceri damnatus, sed malo suo post ea poena exsolutus; una cum Andrea Maeo, in quem primo tabellaria lege animadversum, de urbe Florentinis tradenda conjuraverat. Proditionis ordo ita constitutus erat cum Librafactae praefecto, ut clam militibus vulgari habitu, alio atque alio tempore in urbem introductis, noctu tumultus excitaretur: datoque signo quod inter se condixerant, copiae quae ad lucensis agri fines stabant, occupata ad occidentem porta, in civitatem reciperentur. sed fortuna urbis impiorum machinationes eludente, cum Joannes quidam viator forensis, quo internuncio dandis recipiendisque literis usi erant, alia de causa in vincula conjectus esset; conscientia sceleris, cujus gratia retineri se falso arbitrabatur, cuncta ordine aperuit. Eo indicio Francus qui in urbe erat, statim in custodiam traditus: Maeusque e villa jussu magistratuum propere accitus. Is seu stupore mentis, seu inficiari posse crimen sperans, imperium non aspernatus, in urbem contendit: nequidem tristi tamquam futurorum omine territus; cum bis in itinere consternatione equi excussus, instantis fati cladem vitare potuisset. Sed cum veris victi crimen

fassi essent, damnati, ac securi percussi. nulla bona indicis gratia: quem sero fallacique metu indicium professum, e furca suspensum in frusta laceravere. Frequentandae civitati eo anno decretum, ut qui in suburbia migrare vellent, iis locus ad aedificandum e publico: aliaeque immunitates, arbitrio VI. virorum quibus ea curatio obvenerat, darentur. Eodem anno turris Quartigianorum publici juris facta, concedentibus Landi Diversi liberis, cui horologium impositum. Eo quoque anno cum D. Donati aedes extra urbem ex S. C. diruta esset, actum de nova basilica aedificanda, pro DD. Donati et Paulini, in quorum honorem extruebatur, ac reipublicae majestate, ampla et augusta. Itaque curatores ejus operis creati Dominicus Bertinus, Jacobus Benedictus, ac Gerardus Vellutellus: qui nobili architecto Florentia accito, mole amplum, formaque egregium e candido marmore templum excitavere opere tuscanico: quod publicae magnificentiae religionisque monumentum spectatur. Et ne quid tuendae urbi omitteretur, pietatis ac religionis praesidio hoc anno munitam sequenti (1) patres novis militum prae-

(1) Ann. 1491.

fectorumque subsidiis firmavere. nam proximo periculo, literisque praeterea amicorum admoniti, Ludovicum Pallavicinum Petri filium, militari arte ea aetate celebrem evocavere: insigni fide et charitate in rempublicam eo munere pluribus annis functum, eique demum immortuum. Alter eo anno pons Aesari superstructus ad fines Bargaeorum, eo loco ubi vetus impetu fluminis disjectus olim steterat: nostris fabros operasque, Bargaeis lapides ac caementa materiamque praebentibus. Eodem aedificandi studio, sequenti anno (1), patres quadrato saxo a D. Petri porta in forum viam sternendam locavere: domusque foro imminens cum subjecta porticu, publico sumptu magnifice extructa; in qua praetor urbanus externique judices cum suis familiis habitarent, jusque populo dicerent. in quod opus multatitia pecunia, idque genus alia decreta. Occupandae quoque alendaeque urbanae plebi lanificium in urbem inductum, pecuniamque ex aerario ad eam rem deprompta. Nec minor patribus valetudinis cura; cui tuendae publice domus extra urbem ad D. Annae fanum extructa, in quam qui pestifero morbo laborarent,

(1) Ann. 1492.

deportarentur, ne caeteris contagio noxae essent. Collapsa est eo anno turris Podiorum ruinaque sua plures oppressit. quare ex S. C. placuit explorari caeteras, labantesque, ac vetustate ruinosas tectorum fastigio aequari. moles, ut civilium discordiarum temporibus ad tutelam repertae; ita in pace ornamento futurae, nisi ejus cladis metus aliter suasisset. Uberior externarum rerum scriptoribus hic annus extitit, nobilitate eorum, quae celebrem illum ad memoriam posteritatis fecere. Quippe nunc primum Ferdinandi Castellae regis auspiciis, per Christophorum Columbum ligurem, ingentia terrarum spatia, ultra Herculis columnas, immensosque maris tractus, quae novum orbem appellari placuit, detecta. magna patriae gentis atque Italiae totius gloria: cum hactenus alias terras existere, aut fabulis proximum, aut temerarium creditum esset tentare, quod in secreti sui majestate latere natura voluisset. Eo commercio aurum argentumque, repertis fodinis, Europae vilius factum. novae merces, invisa herbarum atque animantium genera, insueti ciborum sapores, nova medendi auxilia, ignotae morborum pestes, nova vitia importata, per tot maria ac tempestates advecto ignobili pulvere, qui vellicando nares, patrimonia prin-

cipum augeret, privatorum perderet. Eodem anno Innocentius pontifex supremum diem obiit, optimi principis fama: quam etiam auxit successoris comparatio. Fuit is Rodericus Lenzolius Callisti III. sorore genitus, qui Alexandri VI. nomine sacerdotium adeptus, ut callidus, sagax, magni ingenii, majoris consilii; ita non ejus innocentiae ac sanctimoniae habitus, qualem et veneratio praesentium, et posterorum memoria res ex longinquo aestimantis, in ejus fastigii hominibus requirere solet. Missa ad eum salutandum celebris legatio, cujus princeps extitit Nicolaus Tegrimus, clari tunc in rempublicam nominis sapientiae ac eloquentiae fama. extat adhuc oratio ad eum in senatu purpuratorum habita; rudioris illius saeculi aestimatione fortasse egregia: in hoc ingeniorum literarumque flore parem gratiam non habitura. Obiit quoque eo anno Laurentius Medices florentinae reipublicae arbiter: cujus funeri honestando, ut ab aliis principibus, ita a Lucensibus legati missi: cum is vir, et patris auctoritate, et virtute sua, privati civis modum egressus, honores qui non nisi dominis haberi solent, in libera civitate meruisset. Florentinis paulatim servitio assuescentibus; ac minori tristitia laturis, non uno ictu, sed

per intervalla, ac veluti longa tabe mortuam libertatem. Eo qui sequutus est anno (1), signandae pecuniae cura in primis habita: legesque latae, quibus publico generis humani bono inventum, inviolatum servaretur. plura quoque salubriter adversus pestilentiam constituta: malum contumax, nec satis unquam humanis consiliis coercitum: jussumque ut ea decreta sacramento adderentur, in quod decemviri quo die magistratum ineunt, adiguntur. Eodem anno Alexander pontifex, felici omine principatum auspicaturus, foedus cum Venetis, mediolanensi ac barensi regulis in XXV. annos sancivit. cui cum adscripti Lucenses essent, patres S. C. ratum habuere. nec eo tantum Alexander se se reipublicae amicum ostendit: sed Felino Sandaeo, origine lucensi inter familiares adscito, ac paulo post pennensi adriensique, et deinde lucensi creato antistite, benevolentiam cumulavit. Hic est magnus ille Felinus, divini humanique juris prudentia toti orbi notissimus: quem duae civitates jure ambiunt: Ferraria in qua pater ipsius genitus, et Luca unde illi proavus caeterique majores, nobili Sandaeorum familia ortum traxere.

(1) Ann. 1493.

Tertii voluminis finis.

VOLUMINIS SECUNDI

Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
64	5	obsisteretur	absisteretur
88	4	Fordinovum	Fosdinovum
161	11	victoria	victoriam
166	1	qui in consiliis societatem etc.	qui in praesidio urbis erant, in consilii societatem etc.
ibi	15	demum millium	denum millium
168	19	pretium opere	pretium operae
171	5	inissent	inisset
189	18	respicentium	respicientium
199	2	pietaeque	pictaeque
255	2	hosti praedam	hosti praeda

Lucae.

Typis Francisci Bertini

MDCCCXXII

